



BIBLIOTECA NAZIONALE
201
10 F
34





ΦΙΛΟΜΑΘΙΑΣ
ΤΑ ΣΠΟΡΑΔΗΝ.

MISCELLANEAE
DOCTRINAE

LIBER PRIMUS.

Οὐ παύσομαι τὰς χάριτας
Μούσαις συγκαταμιγνὺς,
Ἡδίσταν συζυγίαν.

EVRIPIDES.

AMSTELODAMI,
APUD PETRVM DEN HENGST,
MDCCCIX.

VIRO. NOBILISSIMO. ERVDITISSIMO
FREDERICO. BARONI. VAN. LEYDEN
DOMINO. WESTBAARENDRECHTAE
I. V. D. ET. AA. LL. M.

GRAVISSIMIS. REIP. GESTIS. MVNERIBVS
SPECTATO. SENATORIO. ET. CVRANDAE
ACADEMIAE. LVGDVNO. BATAVAE
QVINQVEVIRATV. DEIN. REGII. STATVS
SENATORI. ET. ORDINVM. EQVESTRIVM
REGII. HOLLANDICI. ET. REGII. WVR
TENBERGICI. CLASSIS. PRIMAE. MAGNA
CRVCE. INSIGNITAE. DECVRIONI. TVR
MALI. NOVISSIME. REGIO. HOLLANDICO
RERVM. INTERNARVM. ADMINISTRO
NVNC. PRIVATO. MVSAS. COLENTI. OB.
PRAECLARA. ERGA. PATRIAM. ACA
DEMIAM. LITERAS. MERITA. HVNC
PHILOMATHIAE. PRIMVM. LIBRVM

DANIEL. WYTTENBACHIVS
D. D.

D. W.

LITERARVM STVDIOSIS

S. D.

Annus hic est trigesimus secundus, quod Bibliothecam Criticam scribere coepimus. Neque tum putabamus fore, ut eam, vel tam multos in annos extraheremus, vel extractam tam paucis voluminibus contineremus. Materiam nobis Antiquarum Literarum amplam & variam sumebamus, novas Auctorum editiones, interpretum commentarios ac disputationes, omnium censuram & explicationem: nec laboris magnitudinem cum facultatis nostrae otiique modo satis comparabamus. Itaque per septem priores annos Partibus octo editis, reliquae Partes quatuor spatio viginti & quinque annorum prodierunt. Quae tarditas & intermissio quibus de

* caus-

fuit, ut omnes novos libros persequeremur, ut pro tanta multitudine non nisi paucos nostro sensu judicioque delibaremus. Ista autem nominis professionisque opinione nonnulli subinde ducti, plura etiam, quam quae afferebamus, à nobis postulabant. Age, inquit, qui Euripidem Musgravii suse tractasti, tracta item Sophoclem Brunckii: & qui Schweighauseri Appianum recensuisti, recense quoque ejus Polybium & Athenaeum: qui Villoisono & Santenio memoriam tribuisti, cur non etiam Toupio & Brunckio? Importunos flagitatores jam exclusimus, excludendo nomine Bibliothecae.

Neque Criticae *nomen retinuimus; non quod ab hoc opere nostro Criticam repudiaremus, sine qua nec in Literis, nec ullo in genere, sapere quisquam potest: sed, ut hanc quoque reprehendendi ansam iis praecideremus, si qui, nullam nisi verborum esse Criticam putantes, omnia ex hoc genere à nobis postularent, neque rebus & ipsis disciplinis locum relinquerent: qui frequens imperitorum est error. Denique, ut verum fateamur, noluimus nobis amplius nomen assumere ejus artis, quae multae experientiae extremus fructus censetur.*

 Nam

Nam tertium, quod in vetere titulo nobis displiceret, fuit tessera, Longini sententia: ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα· *egregia sane illa, sed, libro praescripta, anceps & reprehensioni exposita; quasi illam nobis facultatem jam tum arrogassemus, à qua nos nunc etiam post trigesimum secundum annum longe abesse profitemur. Haec enim profecto, quam suscipiebamus, erat* ἡ τῶν λόγων κρίσις, dijudicatio librorum: *nec modo recentiorum, sed & veterum, de quibus Longinus loquitur, eamque* multae experientiae extremum fructum *esse pronunciat. Latius autem, ac vulgo putatur,* πεῖρα *patet: nec solam illam, quae dicitur,* experientiam, *continet; sed omnes etiam ejus caussas & effectrices, observationem, usum, lectionem, scriptionem, commentationem, tractationem, complectitur. Itaque miramur, neminem nostrorum obtrectatorum in hanc tesseram involasse, nobisque eam arrogantiae vertisse. Videtur sane haec nostra felicitas esse; ut, quum duo genera lectorum habeamus, faventes & invidentes: illi sint docti, qui videant, & ignoscant: hi indocti, qui videant, nec intelligant.*

Er-

Ergo novo opusculo novum titulum fecimus Φιλομαθίας τὰ σποράδην, *quasi dicas*, Doctrinae Studii sparsim prodita, Eruditionis Varia, Miscellanea Doctrinae. *Graecum fecimus; quod rem disertius declararet: Latinum addidimus, Graeca minus capientibus. Quae autem sit, auctore Platone, conjunctio* Philomathiae *&* Philosophiae, φιλομαθοῦς *&* φιλοσόφου; *quam Cicero secutus, philosophos* doctos *&* doctissimos *appellat: ostendemus in Annotatione ad Platonis Phaedonem, in qua typis excudenda nunc maxime typographi nostri occupantur. Caeterum, hoc titulo optando, & modestiae opinioni apud alios consuluisse, & nostro labori cavisse videmur. Nam ut antiquitus omnis doctrina dicebatur* σοφία, sapientia, *postea autem per modestiam dicta est* φιλοσοφία, sapientiae studium, *idem in nomine* φιλομαθίας *accidit.* Cognitio discendo comparata *vocabatur* μάθησις, μάθημα· *ejus copia*, πολυμαθία, doctrinae copia: πολυμαθὴς, praestans doctrinae copia homo: *quae nomina quum nemo doctus, sine arrogantia, vel sumere sibi, vel data accipere posset, his* φιλομαθὴς & φιλομαθία *substituta sunt. Sic & nos ex* Biblio-

 the-

theca Critica, *quae fere instar erat* Polymathiae, *fecimus* Philomathiam. *Eodem accommodavimus additum* σποράδην, sparsim: *ut hoc, quidquid sit, doctrinae liberâ manu spargeremus, nec tamquam certum ac debitum pensum lectoribus annumeraremus. Eodemque nomine scripta quaedam Veterum insignita reperimus. Veluti Hieronymi Rhodii liber secundus* τῶν σποράδην ὑπομνημάτων *memoratur apud Diogenem Laertium* I, 26: *Aristoxenus* ἐν τοῖς σποράδην, *ibidem* I, 107: *& Plutarchus se sua Sympofiaca* σποράδην *habuisse & conscripsisse testatur p.* 612, *E*, & 629, *D*.

Neque vero rursus nos ad necessitatem voluminum quaternis deinceps partibus explendorum adstringimus: sed singulares libellos pollicemur, quorum quovis edito, ipsa Philomathia finita censeri possit; & nobis, eam vel relinquere, vel continuare, integrum sit.

Distributionem tripartitam retinuimus, in Censuras, Anecdota, Narrationes Breves de rebus librisque memorabilibus novis, *quas antea* Relationes Breviores *usurpare solebamus. Harum quum sit varia & multiplex materia; longio-*

glora capita ab iis ſegregabimus ac peculiari loco tituloque ponemus; ſiquidem eorum argumenta magis de aliis rebus, hominibus, factis, quam de libris, fuerint. Cenſurae *autem, ut antea fuerunt, ſic poſtea erunt, de libris in hoc Literarum genere, vel novis, vel antiquis denuo editis. Harum nunc locum occupavit argumentum ἄμουσον ſane, ſed lectorum deſideriis conceſſum, flagitantium ut pergeremus, quod nuper inchoaſſemus, ejus μουσικῶς tractandi rationem oſtendere.* Anecdota *quamquam dicuntur omnia, quae adhuc inedita fuerant, in his & Cenſurae & caeteri noſtri libelli, tamen proprie intelligimus cum Antiquorum libros & locos hoc usque ad tempus in ſolis codicibus ſcriptis ſervatos: tum Recentiorum ſcripta nondum edendo vulgata. Ex illo genere addidimus huic libro duas Diſſertationes* Muſonii, *Stoici nobilis Philoſophi: de quo Nieuwlandius quondam noſter diſſeruit docta diſputatione, à nobis commemorata Bibliothecae Criticae Parte* VIII.

Sic igitur prioris nominis profeſſionisque & vinculis ſoluti, & onere levati, ad hoc munus, ut facilius expeditiusque, alacres accedimus. In

quo

quo etsi nil certi promittimus: libellorum edendorum nec numerum, nec modum, nec tempus definimus; tamen speramus, lectores, qua fuerunt adhuc erga nos voluntate & humanitate, eadem porro futuros, & hanc nostram operam, qualem eam cumque afferemus, grate studioseque accepturos. Scripsi ruri. d. XXX. *Augusti a.* MDCCCIX.



CORRIGENDA.

Pag. 2.	inviceinveniſſemus	*lege* invicem veniſſemus
— 9.	ſcribere audere, Latine	— ſcribere audere Latine
— 30.	incelligo	— intelligo
— 41.	Intellecta	— Intellectu
— 69.	*antepenult.* Quantitatem	— Qualitatem
— 139.	tument.	— ardent.
— 144.	te judicii expertem	— te *delendum*
— 149.	Horratius	— Horatius
— 188.	inſtitution.	— inſtitutione
— 197.	Cic. 2. Fr.	— Cic. Q. Fr.

KA-

ΚΑΘΑΡΣΙΟΝ

Θερσίτης δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα,
Ὅς ῥ' ἔπεα φρέσιν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη.

Quod in more Veterum fuit, ut in rebus auſpicandis & operibus conſecrandis ſacrificium luſtrale facerent, ad bonos genios propitiandos, malos averruncandos: & quod Dii immortales hominibus praecipuas virtutes largiti ſunt duas, alteram recte ſentiendi, bene faciendi alteram: & quod nos has virtutes in omni noſtra vita, omnibus in actionibus, ſtudiis, ſcriptionibus, ſecuti ſumus; age, quo magis appareat nos easdem virtutes in hac Φιλομαθίας ſcriptione ſequi, ejus initium rite juſteque à καθαρσίῳ ducamus, quo non ſolum malos genios averruncemus, ſed etiam homines ab iis captos nobisque iratos in libertatem vindicemus, à ſordibus purgemus, & nobis bonisque geniis reconciliemus.

I.

Ergo poſt illum à nobis habitum & noviſſima Bibliothecae Criticae parte editum ſermonem,

nem, uterque, Philalethes & Critobulus, solus quidem aliquoties, ambo autem communiter Idibus demum Juliis apud me fuerunt. Quo die miti ac sereno, ut soleo post meridiem extra hortulum spatiari, quum longius etiam ad mare excurrere, meque, in litore & collibus, largiore prospectu & recenti aura recreare vellem, jamque domo exirem, venit ab illis ex urbe qui mihi nunciaret, eos ad me venire, & mox adfore, si renunciaret me domi esse ipsisque admittendis vacare posse. Cui ego: Opportune ades, & vaco, & ipse illis obviam ibo. Et, quo citius diutiusque eorum sermone fruerer, continuo ad eos festinans, hanc ipsam festinationis meae caussam, & me ab ipsis ex mari in terram retractum, eorumque congressum omnibus aliis oblectationibus anteponere, & similia, prima in salutatione iis commemorare parabam; indeque nescio quam humanitatis laudem ab iis me laturum sperabam.

Quam meam spem fefellit procax Critobuli festivitas. Hic enim, quum vixdum in conspectum invicemvenissemus, procul, Graeco quodam nomine me appellans, inclamavit, *Critobulus & Philalethes salvere te jubent.*

Tum ego: Hoccine est, quod mihi affertis, novum nomen?

Et alia, inquit, nova, & nomen; nam hoc quidem quare tibi non gratificemur, & par pari referamus, qui nostra nomina è Belgicis in Graeca mutaveris.

Ac-

Accipio, inquam, & nomen & omen: quidni enim magnos viros ſequamur, qui item factitarunt: vel diſcipulis nomina ponentes magiſtros veteres philoſophos: veluti Ariſtoteles è Tyrtamo fecit Theophraſtum, Carneades ex Hasdrubale Clitomachum, Plotinus è Malcho Porphyrium, ne plures dicamus: vel propiorum ſaeculorum principes viros, Eraſmos, Melanchthones, Xylandros, Stephanos, Scaligeros, Salmaſios, innumerabiles alios; quorum nativa nomina quum aſpera eſſent ad aures judiciumque hominum Graece Latineque doctorum, ea ad antiqui ſoni ſermonisque elegantiam immutarunt. Perizonius quidem unum è ſuis majoribus auctorem habuit nativi nominis in hoc Graecum mutandi: &, credo, libenter retinuit: & ego vellem aliquis meorum majorum item feciſſet: illiterati hoc non cogitant: literatos non niſi duos habui, utrumque Theologiae Profeſſorem, utrumque gentilitii nominis tenacem: patrem proxime, & ſaeculo decimo ſexto ineunte Thomam Wyttenbachium, Baſileae docentem, cujus è diſciplina clariſſimi Helvetiae reformatores, qui dicuntur, prodierunt, tum princeps Zwinglius, qui ſe ſubinde *Geminium* & *Cogentium* fecit. Hinc alii in eodem populo & more, Oecolampadii, Epiſcopii, Oporini. At nunc homines Latinae rationis inſueti & rudes, tamen

Latine ſcribentes, nomina propria & immutabilia & indeclinabilia ſervantes, ſcriptionem ſuam hybridis nominibus, quaſi naevis, contaminant.

Sic eſt, inquit Philalethes, ſic ſemper judicavi: idque in primis quum legi tales ſcriptiunculas: quibus ſi reliquam verborum compoſitionisque labem ignoſcerem, tamen duram iſtam & inflexibilem, ut ita dicam, nominum propriorum barbariem ignoſcere non poteram. Nec minus in alteram partem, cujusmodi hoc eſſet, ſenſi in hiſtoriis Thuani, Grotii, Petavii, ad Romanam plane elegantiam & gravitatem compoſitis, quas ſaepe & libenter lego; in quibus ſi pro antiquo nominum propriorum habitu, novum & vulgarem repoſueris, omnem gratiam ac ſpeciem exſtinxeris, & pulcherrima opera turpiter foedaveris. Omnino, ſi Latine ſcribimus, Latinus ſonus modusque tenendus eſt: ſi Belgice, Belgicus: ſi Gallice, Gallicus: niſi inepte & indecore agere volumus. Haec enim eſt *ἀκαιρία* & *ἀπειροκαλία*, adverſa *decori*, in quo ſervando, judice Cicerone, magna officii humani pars poſita eſt.

I I.

Ita confabulantes in hortulum venimus, domumque ingreſſi ſumus. Hic ego: Salvete, inquam, *φίλτατοι ἄνδρες*· ſic enim vos Homerice

&

& vere appello: &, quod apud eum Achilles ad ſe venientes Ulyſſem, Ajacem, Phoenicem,

Εἷσεν δ' ἐν κλισμοῖσι, τάπησί τε πορφυρέοισιν,

ſic vos non quidem purpureis & regiis in lectulis, ſed in ſellis vulgaribus & meae ſorti congruis, conſideatis, corporaque ambulatione feſſa, ſedendo, caeterum potu quoque modico, recreetis; ſive vos merum, ſive aqua temperatum, ſive frigidam, ſive caldam poſcitis: & apud me erit, quod ille dixit,

Μείζονα δὴ κρητῆρα, Μενοιτίου υἱὲ, καθίστα,
Ζωρότερον δὲ κέραιρε, δέπας δ' ἔντυνον ἑκάστῳ·
Οἱ γὰρ φίλτατοι ἄνδρες ἐμῷ ὑπέασι μελάθρῳ.

Atqui, inquit Critobulus, Homerici heroes non ſolum ſunt bibaces, ſed & edaces: tu vero non niſi potum nobis polliceris: adde ſodes & cibum, ſed utrumque parcum & intra modum: mihi caldam ad ſorbendum: Philalethi temperatum ad pitiſſandum: utrique cruſtulum, paululum piri, aut ceraſi, aut ſi quid aliud pomi & baccae hortulus tuus fert: hae enim antiquis dictae ſecundae menſae, cum prandio aut coena junctae nocent, ſeorſum inter utrumque ſumtae juvant.

En, inquam, hominem ἰατρικὸν, immo Pythagoricum, & tenuiſſimo cibo victitantem, velut inter aves cicadam rore contentam: for-

te ne ſanguis quidem vobis ſed ichor in venis manat: numquam vidi cibi potusque homines vobis parciores: & ſi verum eſt, qui pauciſſimis indigeat, proxime ad divinam praeſtantiam accedere, vos jam proximi eſtis Diis:

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον·
Τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Sed age, pro corporeis iſtis dapibus rependite mihi animorum pabulum, ſermonum epulas, quae nova ex urbe vos adferre dixiſti.

Narret, inquit, Philalethes, qui plenum ſaccum attulit.

Itane, ait ille, ut Socratem familiares, ſic me *θύλακον λόγων* eſſe cenſetis: quamquam nunc quidem non deeſt quod narrem; ut optionem tibi dem ex quo genere audire velis, bellico an civili, extero an domeſtico, illiterato an literato, quod ad te pertineat.

Ex hoc mihi, inquam, deprome literato, quod ad me pertineat.

III.

Ergo, inquit, audi: *Paulus adverſus ſtimulos calcitravit.*

Non intelligo, inquam.

Fortaſſe, inquit, quia ſacrum eſt dictum: neque his ego temere uti ſoleo; ſed in hoc homi-

mine liceat: qui fere Belgice ſcribens, ubi feſtivus eſſe vult, jocos ſalesque ſuos non aliunde petit, quam ex paroedia ſacrorum dictorum; unde fit ut Latine ſcribens, ab hac ridiculi materia excluſus, ad anguſtias redactus, in antiquis Scriptoribus hospes & ignarus, ex his omnia cupide arripiat & inepte apponat. Hoc enim totum genus niſi è copia & delectu exiſtat, ut optimos quosque Veterum longo uſu tritos in numerato habeamus, eorum dicta cum judicio & ſuo loco expromamus, pro ſalſo inſulſum, pro ridiculo deridendum fit.

Nondum etiam, inquam, intelligo, quem dicas.

Paulum dico Horrearium, inquit, qui his ipſis diebus epiſtolam ad te, & adverſus te, ſcriptam edidit, plenam illam fellis & maledicentiae.

Pol! inquam, quaſi è ſomno me excitaſti; nam poſt editam Bibliothecae Criticae noviſſimam partem, continuo ad Phaedonem me receperam, totumque cum Horreo Horrearium ex animo abſterſeram.

Legiſti, inquit, nimirum illam Horrearii epiſtolam.

Vidi, inquam, necdum legi: reddita eſt mihi in lectulo cubanti & Phaedonem commentanti: aperio libellum: video titulum: verto pagi-

nam: lego profcriptam tefferam, fententiam ex Ruhnkenii Oratione: lego quantum in proxima pagina eft, exordium epiftolae: tum medium libellum forte aperiens incido in illum locum, ubi fe Valckenarii difcipulum profitetur, viri, ut ait, me multis partibus majoris: refpicio Phaedonem, ad hujus me commentationem refero: cujus gravitas & integritas ne puerilibus Horrearii nugis turbaretur, ejus epiftolam fepono, & in ejusmodi quidem angulo unde mihi non facile, in manus incideret. Sed his tribus de locis quid tibi videatur, primum fcire velim.

Equidem vehementer miror, inquit Philalethes, Horrearium adverfus te Latine fcribere aufum, & grammaticâ migrandâ novae reprehenfioni materiam praebere: fed nil eft in hoc genere, quod ifte non audeat. Quare autem Latine fcripferit partim dixit, partim reticuit. Dixit, fe ab exteris etiam legi velle: Belgicam linguam nimis anguftis terminis inclufam effe quam pro iftius libelli praeftantia. In quo vanitas hominis apparet, quem non pudet, ingenii orationisque fuae barbariem exteris oftendere, quam debebat intra fuorum cognitionem civium cohibere. Reticuit, fe excitatum effe tuo dicto, quod fuperiori fermone à me acceptum pofuifti p. LXII, eum à Latine fcribendi gradu dejectum per cenfuram alicujus haud indoc-

docti ſcriptoris, ad Belgice ſcribendum ſe recepiſſe: voluit te re & facto refutare, & rurſus ad hunc gradum adſcendere. Denique habuit, ſi quid video, habuit quosdam doctiſſimos, de quibus dixit, Amſtelodamenſes, ipſius orationem probantes, & nunc ex hac epiſtola Latinitatis vitia eluentes.

Inſcitos, inquam, lotores, tantam vitiorum multitudinem relinquentes.

Sic eſt, inquit. Quod vero ſibi ignoſci poſtulat, ſe Latine non ſatis ſcientem, tamen ſcribere audere, Latine in mentem mihi revocat ſimile factum A. Albini hominis Romani, hiſtoriam Romanam Graece ſcribentis, idemque reprehenſum à M. Catone: de quo ſic prodit Gellius XI, 8: „ Juſte venuſteque admodum reprehendisſe dici- „ tur A. Albinum, M. Cato. Albinus, qui cum „ L. Lucullo conſul fuit, res Romanas ora- „ tione Graeca ſcriptitavit. In ejus hiſtoriae „ principio ſcriptum eſt ad hanc ſententiam: „ Neminem ſuccenſere ſibi convenire, ſiquid in „ his libris parum compoſite aut minus eleganter „ ſcriptum foret, *nam ſum*, inquit, *homo Ro-* „ *manus*, *natus in Latio; Graeca oratio à no-* „ *bis alienisſima eſt:* ideoque veniam gratiam- „ que malae exiſtimationis, ſi quid esſet erra- „ tum, poſtulavit. Eam quum legisſet M. Ca- „ to, *Nae tu*, inquit, *Aule*, *nimium nugator*

 es,

„ *es, quum maluisti culpam deprecari, quam*
„ *culpa vacare: nam petere veniam solemus, aut*
„ *quum imprudentes erravimus, aut quum com-*
„ *pulsi peccavimus: tibi, inquit, oro te, quis*
„ *ignoscet? quis perpulit, ut id committeres,*
„ *quod priusquam faceres, peteres ut ignoscere-*
„ *tur?*" Sed vulgus, cui Horrearius scribit, vitia in patrio tantum sermone videt, in alio non videt. Facite apud Belgas Gallum Belgici sermonis parum scientem Belgice scribere, Belga unusquisque vitia animadvertet: at si apud Belgas Belga Gallice scribat, quamvis balbutiat, Belgicum vulgus vitia non videbit, sed bene adeo eum scribere putabit. Sic Horrearius imperito vulgo bene scribere videbitur. Prudentes autem & periti, quid dicent? Cives quidem Belgae: *Quae te necessitas coegit male Latine dicere, quod melius Belgice poteras?* Exteri autem: *Tantine nobis erat tuas ineptias scire, ut cum bene Latine non posses, male eas nobis impertires?*

In hoc autem, inquit Critobulus, suo modo astutus fuit homo, quod tamquam malo vino bonam hederam, sic lutulento suo libello puram tesseram praeposuit sententiam Ruhnkenii; quam iste nactus, videor mihi videre ut gaudio exsultaverit ac triumphaverit: miser non animadvertens eam potius in se valere; siquidem hic est à Ruhnkenio reprehensus *pedantismus*, conjunc-

tus

tus cum ignorantiâ fastus, obscurâ diligentiâ in minutiis consectandis superbiens, & super alios se efferens arrogantiâ judicandi & veluti ex tripode pronunciandi: in quibus Horrearium excellere vidimus. Ruhnkenius quidem in illa Oratione non Professores Academiarum, ipse Professor, sed minores doctores & Scholarum Rectores significavit: &, magis tempori, quam veritati obsecutus est. Neque enim ignorabat *veros philosophos* à Platone in Theaeteto, Gorgia, Republica, & alibi, informari plane ut umbraticos doctores, fori strepitum & vulgi congressum fugientes, sibi & paucis ipsorum similibus viventes: his autem contrarios *sophistas*, popularem auram captantes, vulgi celebritatem consectantes, qualis est Horrearius. De te autem & mihi & aliis subinde dixit, se unam in te rem reprehendere, nimiam lenitatem, qua semidoctorum stulta judicia patienter ferres & audires. Qui si viveret, & illam suam dictionem ab Horreario in te conversam videret, eum profecto ita corriperet: „ Quid tibi, ô bone, mecum, „ nonne satis habes per interpretandi libidinem „ & imperitiam in veterum Scriptorum divinorum humanorumque dicta involare, eaque in „ falsam sententiam torquere? meane quoque „ contaminas dicta? tu, qui ipse pedantismo „ graviter laboras: tu, qui in omnibus dictis „ scrip-

„ ſcriptisque tuis arroganter pronuncians, inanem „ doctrinae & auctoritatis exiſtimationem conſtctaris! *Quis tulerit Gracchos de ſeditione „ querentes.*"

I V.

Haud ſcio, inquam, an ita ſit. Illud ſane affirmare audeo, me meam umbram cum iſtius luce commutare nolle. Et ut adſpexi illam epiſtolio proſcriptam teſſeram, ita continuo intellexi, unde haec ei veniſſet. Scilicet pupugerat hominem quod dixeram eum in circulis, thermopoliis, conciliabulis, novam doctrinam venditare; fecit igitur ſe popularem philoſophum, me doctorem umbraticum. Hinc illae lacrymae! Et hoc etiam affirmo, Ruhnkenium quod tibi de me, hoc eum mihi coram ſaepe dixiſſe: & meam in Bibliotheca Critica lenitatem judiciorum reprehendiſſe. Ego autem non deſino, nec umquam deſii, amicos meos omnes, familiares, domeſticos, contubernales, orare ut me cum de aliis vitiis, tum in primis de illo paedantismi, ſi quando eorum indicium aut veſtigium in me appareat, admoneant; quod quo magis in aliis odi, eo minus ipſe contrahere velim. Ruhnkenius quidem quum eum hoc orarem „ In te ſane contrarium eſt vitium", inquit:

quit: „ aliquanto plus deberes habere illius con-
„ fidentiae &, ut vocant, *charlataner iae*, quae
„ doctis etiam saepe utilis est, ut indoctis se
„ venditent, eorumque vanitatem aut regant aut
„ retundant. Illius igitur confidentiae justum
„ temperamentum quasi in medio positum est vir-
„ tus: contraria extrema sunt vitia, nimium &
„ parum: in nimio peccat scholastica arrogan-
„ tia, qui *pedantismus* vocatur, de quo mea est
„ Oratio: contraria est *lentitudo*, in quam tu in-
„ cidis". Haec Ruhnkenius.

Quod vero etiam, inquit Philalethes, ex ejusdem illo loco de umbraticis doctoribus in te accommodare conatur Horrearius, primum ipsius Ruhnkenii testimonio apposito confutatur: qui si istud tibi vitium inesse vidisset, te ante alios omnes corripuisset & sanasset, tuque hujus te sanationis patientem praebuisses: deinde manifesto Horrearii Critici ἀκρισίαν & stuporem prodit. Quasi vero omnes homines scholastici à celebritate civium remoti, in istud arrogantiae vitium inciderent: aut quasi hoc arrogantiae vitium non aliunde quam ex scholastica seclusâ à civium celebritate vitâ existeret. Itaque enunciatum suâ naturâ particulare, *Quidam scholastici fiunt arrogantes*, primum universale facit, *Omnes scholastici fiunt arrogantes:* deinde reciprocat, *Omnes arrogantes sunt scholastici.* Et tamen

men inter omnes conſtat, Horrearium in celebritate circulorum, thermopoliorum, auditoriorum, & ſimilium locorum viventem, idcirco non minus arrogantiâ ſcholaſticâ ac pedantismo inflatum esſe, quam arrogantisſimum quemque, quos novimus. Hic nobis eſt Criticus philoſophus! domi ſe potius contineat & Logicam diſcat: deſinat ridere eos, qui ſtudiis intra parietes ita operantur, ut eorum fructus ad publicam utilitatem prodant, juventutem ad rerum ſcientiam & virtutem inſtituant, provectiores abſentes ſcriptis & oblectent & doceant, atque omnino, quod ait Cicero, & ſibi honori, & amicis utilitati, & rei publicae emolumento ſint.

Haud me poenitet, inquam, vitae adhuc ſic actae: quam ſive ſolitariam, ſive umbraticam, ſive ſcholaſticam quis appellet, non repugno: modo illud concedat, unumquemquè ſuam ipſum naturam nosſe debere, ad eamque vitae ſuae genus rationemque ita accommodare, ut ſe ipſum & alios maxime juvet: quod & Socrati oraculum reſpondiſſe fertur, ut in vitae genere eligendo ſuae ipſe naturae, non vulgi opinionibus, obſequeretur. Nec niſi ita esſet, & vos item judicaretis, hoc apud vos dicerem, quorum utrique iter vitae à meo diverſum, vel in rei publicae luce, vel in privatorum frequentia, obtigit. Hominum autem nobis doctiorum notitiam non

in

in thermopoliis, conviviis, cauponis, & vulgaribus auditoriis acquirimus, nisi si valde indocti simus: neque illic ad modestiam conformamur: quippe semidocti loquaces laudantur & arrogantia inflantur, docti taciturni contemnuntur. Vere docti, rari & ubique terrarum dispersi, non modo in nostro populo, sed apud exteros etiam quaerendi: quo è genere, quibuscum vel praesentibus coram, vel absentibus per literas, consuetudinem & familiaritatem contraherem, non mihi defuerunt me doctiores, à quibus discerem, quantumque mihi deesset intelligerem.

Tum Critobulus: Nae! vos diu tenet sententia Ruhnkenii: & sane hujus unum dictum omnibus Horrearii voluminibus haud dubitanter praetulerim. Quamquam iste hanc auctoritatem dudum ipse sibi praecidit; qui in Horreo Ruhnkenium insulse, ut solet, & inficete *Nimrodum & philosophiae expertem*, vocaverit, nunc magna laude afficiat, ejusque hanc sententiam manu injecta prehendens, pro tessera fronti suae praefigat: homo egregie sibi consentaneus, ut omnia. Nostis Graecum proverbium: Τὸν αὐτὸν αἰνεῖν καὶ ψέγειν, ἀνδρὸς κακοῦ· i. e. *Mali est hominis, eumdem laudare & vituperare.* Mihi autem isti semidocti, saepe bilem moverunt, qui, quo indoctiores, eo superbiores ipsi doctos viros, in primis publicos doctores & Professores, lubenter scho-

las-

lasticos ac pedantes appellant: scilicet muneris honorem illis invidentes: & tamen simulacrum ejus affectantes vel recitationibus factitandis, vel circulis cogendis, vel conciliabulis obeundis: hic est campus Horrearii, hoc forum, haec vitae lux: in his sapere & discit & docet.

V.

Age, inquit Philalethes, quando ex tribus locis, de quibus me rogasti, primum confecimus, de duobus reliquis videamus. Proximum igitur est exordium, plane illud comparatum ad invidiam tibi creandam. Narrat enim Bibliothecae tuae Criticae editionem incidisse in ipsum illud tempus, quo filii sui recentem obitum luxerit, indeque factum ut tibi non citius responderit; itaque lectores commiseratione sui occupare, & tibi aversos reddere studet, ut inhumano ac jacentem miserandumque insuper laedenti. Quamquam in hoc te nemo accusabit; quippe qui ejus luctum ignorasti: & ipse plures doloris sui socios habuisset, nisi tam multos sponte laesisset, nulla habita temporis & honoris ratione: in quibus quam multis cum animi dolore etiam corporis morbum importasse eum credibile sit? siquidem fama est, Hieronymum Alphenum, optimum virum, Horrearii in se jacta convicia adeo gra-

graviter tulisse, ut ex aegritudine mortuus sit. Haec plerique recogitantes, ad societatem doloris tardiores fuerunt, aut immobiles manserunt. Te, credo, Horrearii scriptiuncula non occidet.

Neque ego credo, inquam. Caeterum nolim meum libellum tam alieno tempore exiisse; quem profecto aliquantum ab editione cohibuissem, si quid ejus luctûs scivissem: & hoc, nisi homini, certe humanitati dedissem: οὐδ' ἐγὼ ἀπὸ δρυὸς οὐδ' ἀπὸ πέτρης πέφυκα, ἀλλ' ἐξ ἀνθρώπων· & memini quantopere ipse amissionibus familiarium & propinquorum affici soleam. Sed pergo. Nam tertium, quod ex te, Philalethes, quaerebam, dubitationem non habet, & plane assentior: &, nisi assentiar, me ipse parum noscam, & merito arrogantiae accuser, me ipse cum Valckenarii magnitudine comparans.

Esto, inquit: si vere hoc dixit Horrearius, casu & invidia, non judicio & scientia, dixit: qui nec Valckenarium nec te satis novit: nec scit quibus in generibus uterque vestrum elaboraverit, nec ea genera perspecta habet: nec, si vos tamquam in libra ponderare velit, ad libram tollendam satis ipse magnus & robustus sit. Et jam tibi satisfeci ad illa, quae voluisti, tria: tu mihi nunc vicissim responde ad sexcenta, quae in Horrearii epistola notavi, quam hoc ipso consilio mecum attuli.

 Hui!

Hui! fexcenta? inquam: in quibus ecquando tu interrogandi, ego refpondendi, finem reperiemus? neque dum ego epiftolam legi.

Bono animo fis, inquit: ego utrumque tibi praeftabo. Neque enim de fingulis Horrearii dictis interrogabo, fed haec ad pauca genera redigemus: de his fummatim dices. tum totam epiftolam tibi breviter praelegam; tuque ipfe, dum lego, quae notanda putes, me monebis: ego autem monitus quodque continuo notabo: & hoc meum exemplar ad tuum tibi ufum apud te relinquam. Sed tamen antea narrabo, quibus fuaforibus & adjutoribus iftud epiftolium natum editumque fit: nec enim fcire injucundum eft, & nonnihil ad ejus intelligentiam adfert.

Aureus, inquam, plane es, mi Philalethes, cum tua folertia, & meae inertiae congruens; fic & labori meo confulueris, & oculis meis peperceris, quos Phaedoni & proxime Philomathiae deftinavi: quare noli cesfare, fed *ordine fingula pande.*

VI.

Accipe, inquit. Nam quo tempore Bibliothecae Criticae pars novisfima edita eft, paulo poft illud tempus ego Amftelodami fui. Ibi tum fermo erat frequens de tuo libello & de Horreario:

rio: quem omnes gaudebant petulantiae maledicentiaeque perpetuae tandem poenas dare. Ille novo & inopinato casu perculsus domi se abdidit,

Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

inde mox in hortulum secessit, seque inclusit, istum libellum consarcinans: non aliter quam M. Antonius contra Ciceronem orationem habiturus in Tiburtino Scipionis diu commentans declamavit, denique in urbem veniens orationem ore impurissimo in absentem Ciceronem evomuit, ut est Phil. V, 7. Kantiani, qui sunt, aut videri volunt, qui pauci sunt, omnes ringi, discurrere, ad Horrearium concurrere, eum & consultum & consolatum: venerunt primores, venit & plebs:

Venit & upilio: tardi venere bubulci.

Quum consedissent, ita res acta, & Horrearius eos sic allocutus esse fertur: *Quid his diebus proximis acciderit, ô socii, nostis: me graviter impugnatum & reprehensum: remp. Kantianam vehementer concussam & labefactatam: quae quidem mecum & stat & cadit, in dioecesi certe Belgica, cui ego hypopheta praesum; communiter mihi & vobis ruina intentatur, com-*

muniter nobis ruina fulcienda est: meo in capite vestra existimatio, fortuna, salus, vertitur. Et primum quidem deliberate, utrum respondere debeamus nec ne. Omnes una voce admurmurarunt: *respondere, respondere. Atqui*, rursus infit, *si respondendum est, videatis Belgice ne an Latine respondendum sit.* Rursus uno ore admurmurarunt: *Belgice, Belgice; quis enim Latina legit?* Ille: *Sic & ego censerem, nisi adversarius noster Latine scripsisset: cui idcirco, nisi Latine, honeste responderi nequit. Audivi quidem ejus Epistolam Belgice versum iri: & hoc optimum esset: sic enim & ipse Belgice respondere possem. Nunc vero contra affirmant, auctorem eam verti nolle. Quis tunc è vobis Latine respondebit?* Hi: *Nemo alius quam tu, hypopheta, qui Latine doctisfimus es: testes sunt duae pulcrae orationes tuae: testes, loci Latini quos citas in Horreo: testes, denique omnes, qui ubique sunt in Belgio, Kantiani: quos tu omnes Latinae linguae facultate longe longeque superas.* Ille: *Ita est, ô socii: sed nunc hac maxime in re impar sum adversario meo, nec audeo Latinas meas copias contra eum in aciem educere. Hanc mihi velim difficultatem expediatis.* Illi ad hanc ignorantiae confesfionem,

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Tan-

Tandem unus è proceribus, Scipio Nodofus, vehementer ingeniofus, ut Kantianus, fic orfus eft: *Quod tibi, venerande hypopheta, aliisque fociis difficile, hoc mihi facillimum videtur. Refpondendum omnino eft. Haec enim & eft, & femper fuit opinio vulgi; ut is, qui tacet, victum fe fateri putetur: qui vero novisfimus refpondit, hic victor habeatur. Et hac maxime disciplina, hoc more, res noftra hucusque ftetit; ut nec laceffendo, nec refpondendo defatigaremur. Itaque ego continuo Belgice fcribam libellum, quem mihi dictabis: hunc ego dilatabo, & fale meo mihi proprio adfpergam: tu poftea fubmittes Latinum libellum: fic victores cenfebimur. Neque eft, quod tu hujus fcriptionis difficultatem reformides: five enim materiam five ftilum fpectes, nil facilius eft. Materia eft duplex, vel Philofophiae, vel rerum in facto pofitarum: in illâ vetus inftitutum Kantianum fequêris, ut dicas adverfarium nihil fcire, Kantiana dicta plane non intelligere: in his autem fimpliciter affirmabis eum errare, falfa dicere, mentiri. Stilum autem fic moderabere, ut totas periodos, dictiones, atque longiores locos adverfarii in tuum libellum transfcribas, eique adfuas & contexas, quafi tua ac propria fint. Hoc nos natura docet, hoc indoles puerorum, qui, conviciati ab aliis pueris, eadem convicia iisdem verbis in conviciantes re-*



gerunt. Quod si vero quandoque ista te aliena copia deficiat, & incertus haereas, adi doctiorem, ab eoque disce: vel alium, si quem habes: vel quem affectari, cujusque amicitia gloriari soles. Qui si forte, propter suam cum adversario tuo amicitiam, Te contra hunc juvare nolit, tu ne cede, sed, quantum potes, adhaeresce viro, & quasi aliud agens eum interroga; crede mihi, aliquid inde erues, extundes, expiscaberis, quod in rem causamque tuam vertas. Sed haec ratio tum demum nostras res & fortunas regnumque nostrum servabit, si constanter eam sequamur, nec novis consiliis turbari sinamus. Quod ne fiat, censeo Dictatorem creandum esse, cui rerum summa committatur".

Placuit sententia concioni: & lectus est Nodosus, qui Dictatorem diceret: is dixit Dictatorem, Horrearium hypophetam: Dictator sibi Magistrum Equitum dixit Scipionem Nodosum. Ambo ita copias & militiam partiti sunt, ut Magister Equitum statim cum levi armatura locum munitum *Theatri Oeconomico-Literarii* caperet, indeque excursiones adversus hostem faceret: Dictator cum legionibus & gravi armatura castra in aperto poneret, ubi hostem in pugnam provocaret.

VII.

VII.

Miros, inquam, narras homines. Quale vero istud negotium *Theatri* sit, non intelligo.

Est hic libellus, ait, Belgicus ex genere periodico, quod dicitur, novorum censuras librorum continens: in quo nuperrime tuam ad Lyndenum Epistolam vehementer reprehendit Equitum ille Magister; Kantiano scilicet more, ut suum istud ubique jactaret, te Kantium non intelligere, ejus Philosophiam non perceptam habere. Quam tu disputationem nisi legisti, certe editam esse audivisti.

Nec legi, nec audivi, nec vidi; neque curo, nec inspicio talia; nisi si forte mihi ultro domum adferantur. Tu mihi tandem Dictatoris exercitum ostende.

Hunc tu, inquit, si spectaveris, Magistrum Equitum non valde desiderabis; est enim idem genus, eadem materia, hic ex illo expresſus.

Tum Critobulus: Istam iterationem tu superiore sermone cramben saepius recoctam appellabas: mihi vero illud T. Quinctii Flaminini in mentem venit à Livio & Plutarcho proditum, ad Achaeos dictum „ apud quos quum legati regis Antiochi magnum regii exercitus apparatum & variam armaturam earumque nomina jactarent, eosque movere viderentur, Res est simillima, in-

 quit,

quit, coenae Chalcidensis hospitis mei, hominis boni & sciti convivatoris, apud quem solstitiali tempore comiter accepti quum miraremur unde illi eo tempore anni tam multa & varia venatio; homo non, quam isti sunt, gloriosus, renidens, condimentis ait varietatem illam & speciem ferinae carnis ex mansueto sue factam. Hoc dici apte in copias regis paulo ante jactatas posse. Varia genera armorum, & multa nomina gentium inauditarum, Dahas, & Medos, & Caddusios, Elymeos: Syros omnes esse; haud paulo melius mancipiorum, propter servilia ingenia, quam militum, genus." Tu vero, Philalethes, ostende jam nobis dictatorium exercitum: quem item totum suillam esse auguramur.

Hoc loco nobis libellum Horrearii praelegit Philalethes, ita perspicue, ut nil me praetervolaret notandum, ipseque singula admonitus notaret; & molestiam satietatemque audiendi opportunis animadversionum intervallis leniret atque exhilararet. Finita lectione, En vobis, inquit, pensum meum peractum! Nunc tuum est dicere, quid tibi videatur.

Nec magis, inquam, meum est hoc, quam vestrum. Equidem tantam maledicentiam exspectaveram: tantam inopiam rationis & ingenii non exspectaveram: quae nisi homini defuissent, poterat aliquid & brevius & acrius de ista materia

con-

conficere; nunc iracundia eum paulatim à judicio ad insaniam compulit; ut nil nisi vociferaretur & debaccharetur.

Est omnino, ut saepe dixi, inquit Critobulus: Horrearius à vetere suo concionali artificio recedere nequit: semper quasi è suggesto loquitur: veluti nunc plane nobis attulit homiliam polemicam: in qua te, tamquam haereticum, quamvis absentem, tamen quasi praesentem ante oculos sibi constituit, ac, sua quidem opinione, te corripit, confutat, convincit: denique in peroratione, omnes modos oratorios, quos vulgo, me adolescente, quantum memini, in homiletica *usus applicationis* solebant dicere, *hortatorium*, *reprehensorium*, *territorium*, in te expromit, teque omnibus conviciis proscissum dimittit. Sed jam genera criminum digeramus.

Equidem, ait Philalethes, per totum libellum non nisi unum video genus conviciatorium exstare, unum & perpetuum quasi latratum.

Sic est, inquit, in forma: at in materia nihil non arripuit: primum se ipse varie laudat: deinde adversarium multis modis vituperat, ignorantiam Philosophiae, non modo Kantianae, sed & reliquae omnis, morum adeo pravitatem, arrogantiam, malevolentiam, invidiam, maledicentiam, iracundiam, vindictae cupiditatem,

ei objicit: relinquit tamen Latine ſcribendi facultatem & Literarum ſcientiam; credo, ut ipſe per hanc aequitatis ſpeciem criminibus jactandis eo plus fidei faceret. Quamquam his apud neminem quemquam fidem faciet, qui utrumque veſtrum norunt: immo ne apud eos quidem, qui vos ignorant: adeo ſtulte pleraque conficta & conſarcinata, adeo iracunde effuſa & iterata, ſe ipſa refellunt, & probabilitatis ne ſpeciem quidem adferunt.

Illud autem me legentem, inquit Philalethes, multis locis advertit, fortaſſe multo etiam magis te audientem adverterit, Latina oratio ac dictio ad verbum ex tuis libris transſcripta, veluti ex Epiſtola ad Lyndenum, tota Bibliotheca Critica, Vita Ruhnkenii, Orationibus; non ſolum ubi profitetur, ſe tua dicta citare, ſed ſaepius diſſimulans; ut totus tuis ſpoliis veſtitus ornatusque incedat, & fideliter Nodoſi ſui conſilio obſecutus, iterum nobis veriſſimus ex fabula graculus appareat; licet ejus ſimilitudinem, ſibi à te in priore ſermone illatam, ſeveriſſime à ſe deteſtetur. Idem artificium nonnullos ſequi cognovi, ubi ad aliorum epiſtolas reſpondent: & mihi ſaepe accidit ſcribenti ad homines minus quam me in ſcribendo ſe verſatos putantes, qui mihi reſpondentes mea verba dictaque, paucis mutatis, redderent. Tu vero jam incipe generatim

tim, quae inter audiendum notasti, referre: tantum speciminis caussa; nam omnia recensere nec necesse, & plurium dierum voluminumque materia est. Et primum quidem, cedo, de Kantiana ratione: cujus à te exhibita epitome & mihi, & aliis omnibus hujus rei peritis, non modo perspicua, sed & verissima visa est: praeter Horrearium & Kantianos, quibus hac in caussâ, quippe suâ & propriâ, nulla est nec testimonii dictio, nec sententiae latio; licet magnum clament, sibique per invidiam ilia rumpant.

Et mihi, inquam, quod praefiscine dixerim, de illa epitome idem affirmarunt homines, & intelligentes, & integri, & neutrarum partium studio occupati: qui soli hac in caussa testes judicesve audiendi sunt. Horum igitur & nostratium & exterorum arbitrio totum hoc relinquens, ad Horrearii captiunculas ne hilum quidem reponerem, nisi vestra me virtus vestraque voluntas moveret. Et quod Lucianus rogatus à Celso amico, ut sibi de Alexandri pseudoprophetae fallaciis scriberet, respondit, id mihi praesens ad negotium accommodare liceat: nam quamquam est propemodum Herculeus labor istud tamquam Augiae stabulum expurgare, paucos saltem speciminis caussa cophinos egeram, vobisque projiciam; ut ex illis judicare possitis, quale quantumque, quam taetrum quamque in-

infinitum fuerit ſtercus, quod ter mille centauri multos per annos facere potuerint; quando unus Horrearius quatuor menſibus tantum fellis & ſordium evomuerit.

VIII.

Principio hujus argumenti infelici & infauſto utitur. Lege, quae p. 11, poſuit: „Nonne pa-
„ lam ipſe feciſti, magno te irarum aeſtu &
„ inſatiabili vindictae cupiditate incenſum & fe-
„ re *extra te raptum*, animum ad ſcribendam
„ illam epiſtolam appuliſſe, conturbatumque
„ adeo hiſce motibus fuiſſe, ut quid ſcriberes
„ aut ageres, ipſe aliquando neſcires, tibique
„ adeo non valde conſentaneum Lectoribus oſten-
„ deres? Cujus rei, ut nunc alia poſthac tan-
„ genda praeteream, exemplo ſit, quod Kan-
„ tium cui *omnem Literarum ſcientiam & Phi-
„ loſophiae hiſtoriam defuiſſe* impudenter autu-
„ maveras, mox iterum in alio ejus epiſtolae
„ loco (p. 58.) ut *univerſae ſcientiâ Philoſo-
„ phiae excellentem* proponas, triti illius pro-
„ verbii immemor: *mendacem* ac calumniato-
„ rem, ni cauſſa ſua continuo cadere, & ab
„ aliis derideri velit, *memorem eſſe debere.* La-
„ boras igitur. ut video, graviſſimo morbo—".
En ſimul & acumen, & urbanitatem, & gravi-

ta-

tatem! Difficile eſt riſum tenere ad has tragoediasdias, quas bonus Horrearius, ignoratione Latini ſermonis, & veteratoria calliditate excitat. Nunc enim nil dicam de ejus Latina ſcriptione: cui ſuum locum poſtea dabimus. Ego priore loco, quem Horrearius, ut impune immutare poſſet, paginae numero non ſignificavit, ita ſcripſi p. XLV: *Omnino ultra quam Philoſophum decet, Literae ei defuerunt; ut in Hiſtoria Philoſophiae vix ſupra Spinozae & Carteſii aetatem progreſſus videatur.* Hoc loco igitur non cogitavit Horrearius, me *Philoſophiam* ab *Hiſtoria Philoſophiae* diſtinguere: quod & ipſe ubique inculcat, ejusque item memor eſſe debebat. Deinde ſignificationem nominis *univerſus* ignoravit; quod frequenter ſic uſurpari, ut à *ſingulis* diſtinguatur, vel è Lexicis conſtat: prouti etiam opponuntur *generalis*, *ſpecialis*, *ſingularis*. Poteſt igitur aliquis *univerſae* diſciplinae generalem notionem habere, partes etiam generaliter noſſe, nec tamen ſpecialiter, id eſt, interius omnes perſpectas tenere. Unde ſaepe illud vulgari proverbio notatum accidit, *ex omnibus aliquid, ex toto nihil.*

Infauſto ingreſſui reſpondent infelices progreſſus. Nam quum ego rationi Kantianae multa & valida oppoſuiſſem argumenta, quorum vel unum illam totam labefactaret; Horrearius unumquod-

que

que eorum singulatim deinceps refellere debebat. Iste vero via & ordine nihil, carptim & raptim quaedam reprehendit, clamans ubique me Kantii dicta non intelligere.

Est haec, inquit Critobulus, vetus cantilena, olim ab Epicureis cantata; quos Cicero sic confutat, ut ejus disputationem verissime in Kantianos convertere possimus: *Hoc frequenter, inquit, dici solet à vobis, non intelligere nos quam dicat Epicurus voluptatem. Quod quidem mihi si quando dictum est (est autem dictum non parum saepe) etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. Egone non intelligo quid sit ἡδονὴ Graece, Latine voluptas? utram tandem linguam nescio? Deinde, qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes quicumque Epicurei esse voluerunt? quod vestri quidem vel optime disputant, nihil opus esse eum, qui philosophus futurus sit, scire literas. Itaque, ut majores ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, ut Dictator esset: sic vos de Pelasgis omnibus colligitis bonos quidem illos viros, sed certe non pereruditos. Ergo illi intelligunt quid Epicurus dicat, ego non intelligo?* Id saltem differt, quod non de *voluptate* disputamus, nec de Latina aut Graeca lingua agitur, & quod Kantius obscure & perplexe, Epicurus aperte & simpliciter loquitur: caetera sunt simillima.

Utram

Utram tandem linguam nefcimus, Germanicam an Belgicam? Et qui fit, ut nos Kantium non intelligamus, intelligant omnes, quicumque Kantiani effe voluerunt? Sed hos ita de nobis judicare, non mirandum eft. Hi enim antea ftatuerant Kantii veram effe doctrinam, quam eam cognofcerent: & hac praejudicata infecti opinione ad illam cognofcendam accefferant; unde fit ut fibi perfuadeant, fe eam intelligere, nec fieri poffe, ut alii eam intelligentes non pro vera habeant; in hac enim unum opus effe, & intelligere & probare.

Sic pueri, inquit Philalethes, initia religionis, quem catechismum vocant, difcunt: iidem tamen poftea adolefcentes & viri rationes & argumenta addifcunt. Sed hoc in religione valeat: in Philofophia & res & argumenta fimul cognofci debent. Habui familiarem, quocum una Kantianam Criticam Purae Rationis legebam: faepe accidebat, ut, quum multo labore intelligentiam alicujus capitis affecuti effemus, intellectum ille probaret, ego improbarem. Mox cauffam animadverti: ille accefferat ad legendum occupatus praejudicata veritatis opinione, tamquam ad problema mathematicum, cujus veritas jam conftat, nec nifi demonftratio quaeritur: ego, ut ad problema ex alio genere, eoque ancipiti, quod vel verum vel falfum effe poffet. Et faepe

pe idem videre licet in aliis rebus; ut, si quis artem v. c. difficilem didicerit, aut librum obscurum tractando intellexerit, item vera ea esse statuat; ne scilicet operam perdidisse videatur. Hanc vero communem esse Kantianorum caussam, documento est vir caeterum doctus, Mellinus, scriptor *Lexici Encyclopaedeutici Philosophiae Criticae*: qui in praefatione p. VI, viam praescribens discendae Philosophiae Kantianae, ita loquitur Germanice, ut ego Latine appono: *Qui Criticae Philosophiae cum successu studere vult, id est, ita studere, ut non solum ejus placita intelligat, sed etiam ut de veritatibus ejus se convincat; hic Kantii scripta Critica omnia, prouti in Marginalibus ordinata sunt, minimum bis legere debet* —.

Siccine id dixit? inquit Critobulus.

His ipsis verbis, inquit Philalethes: ego enim minus Latine, sed fideliter reddidi, ut sententia teneretur, praesertim illud *de veritatibus ejus se convincat*: quod in vulgaribus linguis dicitur significatione nemini ignota.

Volebat, inquit Critobulus, certe debebat dicere, *ejus placita non solum intelligere, sed eorum etiam veritatem perspicere*: quamquam hoc ipsum jam nimis valet, & continet praejudicium veritatis: ac rectius sit, *non solum intelligere quid dicat, sed verum nec ne dicat*. Nunc il-

illud significat, discentem jam antea apud se constituisse doctrinam esse veram, nec ei amplius veri falsique inquisitionem adhibere. Ita Theologiae studuerit ille vir: nam Theologum se profitetur in titulo: in Philosophia ita versandum, ut judicium inquisitionem non praecedat, sed sequatur. In utraque quomodo Horrearius orsus sit, satis apparet. Sed nos ejus deinceps criminationes videamus.

IX.

Altera, inquam, est p. 18—20, ubi Kantii distributionem Philosophorum in *Dogmaticos*, *Scepticos*, *Criticos*, adversus antiquam Sexti Empirici, in *Dogmaticos*, *Negantes*, *Scepticos*, à me laudatam, tuetur. Dixeram, me illam improbare, ut nec Historiae fidei, nec Logicae legibus, congruentem; quippe Dogmaticis, decreta statuentibus & verum cognosci posse affirmantibus, opponendos esse eos, qui hoc negent, ut Academicos ab Arcesila & Carneade profectos, & similes: horum in medio esse *Scepticos*, qui *considerent*, *quaerant*, *σκέπτονται*, necdum se invenisse fateantur: atque sic Sextum Empiricum dividere Pyrrhonicarum initio. Ille, spreta Logica & Historia, contendit Academicos annumerandos esse Dogmaticis. „ Sed " inquit „ quid

„ Veterum nos moveat auctoritas. Non enim,
„ *ut cum Cicerone loquar* (De Nat. Deor. I, 5.)
„ auctoritatis, sed rationis momenta quaerimus,
„ neque illud *protenus* ratum habemus, quod
„ ab aliis sive veteres hi sint, sive recentiores,
„ judicatum videmus. Rogatum itaque te ve-
„ lim, quo tandem jure eos, qui cum secundae
„ tertiaeque Philosophis Academiae omnino ne-
„ gant, verum cognosci posse, Dogmaticorum
„ numero eximendos censeas? Hi enim non mi-
„ nus atque illi, qui, cum Peripateticis, Stoicis
„ atque Epicureis, & esse & percipi posse ve-
„ rum pronunciant, decretum aliquod statuunt,
„ ab illis eo tantum differentes, quod horum
„ decretum sit negans, illorum ajens. Unde
„ efficio & ajentes & negantes, diversam quam-
„ vis *constituant* classem & quasi formam, ad
„ idem tamen Dogmaticorum genus referri pos-
„ se, & vero etiam debere. Nec movere me aut
„ Sexti Empirici, aut aliorum quorum libet,
„ auctoritas potest: ipsa enim res per se satis
„ est evidens". Ipsum locum, cujus verba par-
tim mihi sublegit, relegere malui; ne quid for-
tasse me ei affingere putetis. Ergo illi Academi-
ci iidem sunt Dogmatici, quia aliquid *statuunt*,
negantes *quidquam percipi posse?* hoccine um-
quam δόγμα & δογματίζειν dictum est? praeser-
tim cum non modo statuerint *nihil percipi posse*,

sed

ſed ne ipſum quidem illud percipi poſſe, nihil percipi poſſe. Nam quum Dogmatici illis objicerent: Si vere dicitis nihil percipi poſſe, necesſe eſt, ut hoc unum ſaltem excipiatis nihil percipi poſſe, & concedatis hoc veſtrum decretum percipi posſe, quo decreto ſtatuitis nihil percipi posſe; Academici, ut ſibi conſtarent, pronunciarunt ne ipſum quidem hoc decretum percipi posſe, quo ſtatuerent nihil percipi posſe. Audiatis Ciceronem Acad. II, 9: *Ex hoc illud natum eſt, quod poſtulabat Hortenſius, ut id ipſum ſaltem perceptum à Sapiente diceretis, nihil poſſe percipi. Sed Antipatro hoc idem poſtulanti, cum diceret, ei qui affirmaret nihil poſſe percipi, conſentaneum eſſe unum tamen illud dicere percipi poſſe, ut alia non poſſent; Carneades acutius reſiſtebat; nam tantum abeſſe dicebat, ut id conſentaneum eſſet, ut maxime etiam repugnaret: qui enim negaret quidquam eſſe quod perciperetur, nihil eum excipere; ita neceſſe esſe ne id ipſum quidem, quod exceptum non eſſet, comprehendi & percipi ullo modo poſſe.* Et jam antea *Metrodorus Chius*, Democriti diſcipulus, ut eſt apud eumdem Acad. II, 23: qui locus ſic legendus eſt: *Chius Metrodorus, initio libri, qui eſt de natura, „Nego" inquit „ſcire nos aliquid, ne id ipſum quidem ſcire aut neſcire ſciamusne aliquid an nihil ſciamus; nec omnino,*

 ſit

ſit ne aliquid an nihil ſit. His igitur quamvis omne dogma ejurantibus, tamen dogma obtrudere velle, quod eorum adverſarii faciebant, non rationem habet. Sed Horrearius nonne & Scepticos aliquid ſtatuere concedere debet? Quid vero Critici, id eſt Kantiani, nonne & hi aliquid ſtatuunt? Et multa quidem. Sic unum genus erit Dogmaticorum, tres ejus formae: Dogmatici proprie ſic dicti, Sceptici, Critici? Bella diviſio! Quin potius qui Dogmaticus eſſe non vult, ne loquatur omnino, neque os aperiat: itaque duas habebimus formas Philoſophiae, *φάσιν* & *ἀφασίαν*, *ſtatuendi* & *nil ſtatuendi*, de quibus agit Sextus Empiricus Pyrrhonic. I, 92: II, 211: & duas univerſe, ſi placet, faciemus Philoſophorum ſectas, *loquentes* & *tacentes.*

Utinam! inquit Philalethes, ex tacentium genere eſſet Horrearius cum ſuis Criticis; qui Dialecticae expertes in diſputando omnia miſcent.

X.

Tertia eſt criminatio p. 20 — 24, eorum, quae ſcripſi p. xxxv, deſignationem finium, intra quas ingenii humani facultas concluſa ſit, ut ultra eos progredi non poſſit, neminem non Metaphyſicum cogitasſe, multos tentasſe, effecisſe neminem; ne Kantium quidem, quamvis ſe

id

id effecisse professum. Haec ille sic refutat, nil ut rationis adferat, sed multa deblateret, quorum haec est summa: — „ Neque enim ante te „ alii fecerunt, aut facere potuerunt; quoniam „ & tibi & aliis, quotquot facere volu*erint*, „ Purae Critica Rationis defuit. — Nunc ve„ ro, *ut cum Cicerone* loquar, Philipp. XII, 11, „ discussa est illa caligo, quam paulo ante „ dixi: luxit, patet, videmus omnia.".

Kantianum, inquit Philalethes, demonstrandi genus & plane dictatorium. Nos quidem hujus nil videmus; vident Kantiani, qui putant se videre: sed videmus Horrearii vanitatem, quam ipse non videt.

X I.

Quarta refertur ad epitomen Criticae Purae Rationis à me exhibitam p. XXXIII, ubi sic infit: „ Narras nimirum ostendisse Kantium, Meta„ physices materiam esse notiones intelligibiles, „ antiquiores notionibus sensibilibus ab Expe„ rientia per sensus corporis in animum illa„ tis —: caet." neque enim necesse est omnia mea verba reponere. Ego vero, mi Horreari, *nimirum* non narro *Kantium hoc ostendisse*, sed dixi *Kantianos narrare Kantium hoc ostendisse*. Deinde, quod continuo subjicis, „ Haec jam,

„ si Diis placet, summa erit Kantianae doctri-
„ nae, brevissime & paucissimis quasi punctis no-
„ tata! Risum vero quis teneat vir peritus talia
„ legens? — " neque hic opus est plura describere, quae mere sunt in me maledicta. Hic tu, mi Horreari, ostendis te Latina mea verba, *Haec est summa doctrinae, brevissime quoad ejus fieri potuit, & paucissimis quasi punctis notata*, ostendis, inquam, te non intellexisse quid sit *summa*, quid sit *paucissimis punctis notata*. Ergo tu, vir perite, habes quod te ipse rideas. Nam his, quae posui, quasi punctis, designavi vim & consilium doctrinae, ita ut principia dilucide & brevissime significarentur: quorum inanitate perspectâ, non erat, quod in caeteris exponendis partibus operam frustra consumerem; siquidem ex falsis initiis ductum omne & ipsum falsum est.

X I I.

Quinta, verba lectoribus dat: quod quidem ubique, sed hic proprie agit: arguens, me Kantii illud opus *Metaphysicam* vocasse, quod *Critica Purae Rationis* dicatur & dicendum sit:
„ toto coelo erras, inquit, & a Viro, *quem pro-*
„ *ponere* voluisti, mihi crede, plane abludis,
„ illius Purae Rationis Criticam *considerando*
„ *velut* systema quoddam Metaphysicum, no-
„ vam-

„ vamque appellando Metaphyficam, in qua „ *igitur* cuncta *invenienda sint*, quae in vulga„ ribus Metaphyficorum libris". Mitto inficetam Latinitatem, quafi è Belgico exemplo ad verbum redditam. Ita vero me reprehendit, ut Lectoribus faltem perfuadere ftudeat, me in eo erraffe, quod dicit. Atqui ego & p. XX, Kantii verbis, & meis p. LIV, pofui, hanc Purae Rationis Criticam non effe Metaphyficae vel compendium vel fyftema. Et tamen vulgo, à Kantianis adeo, fubinde appellatur nomine Metaphyficae Kantianae. Cur enim non fic appellarent? Ejus quippe materia eft Metaphyfica. Veluti fi quis Criticam Hiftoriae, vel Theologiae, vel Jurisprudentiae, confcribat, neceffe fit ei, oftendere quid in illis difciplinis aut defit, aut fuperfit, aut rectius tradi debeat; ut lectoribus & materiam tradat ejus difciplinae, & formam fignificet. Nulla igitur cauffa erat, loco *Metaphyficae* ubique *Criticam Purae Rationis* dicere, & nomenclaturam Kantianam fancte conftanterque fervare.

XIII.

Sexta rurfus mihi, quamvis nolenti & orationis fordes afpernanti, tamen ad verbum repetenda eft; fic autem p. 27: „ Deinde, in quo Kantii

„ loco legisti formas intellectus *considerandas* „ *esse ut* notiones mere intelligibiles, in animo „ abditas, quae per notiones sensibiles enucleen- „ tur, & per quae Experientia sensibiles noti- „ tias, id est sensuum visa, sive intuitiones sen- „ sibiles, suscipiat atque in Categoriarum for- „ mas inferat? Itane vero. Hanccine esse ais „ doctrinam Kantii. Putabam ego plane con- „ trarium à summo viro & positum & demon- „ stratum esse: nimirum Experientiam non susci- „ pere aliquid, sed suscipi ipsam; non inferre, „ sed inferri: & nec Tempus ac Spatium neque „ etiam Categorias, seminales conceptus Intel- „ lectus puri ab intuitionibus sensibilibus evolvi „ atque enucleari; sed Spatium Tempusque in- „ tuitionum sensibilium formas, itemque Cate- „ gorias absolutas esse conditiones quasi atque „ immutabilia humanae cognitionis fundamen- „ ta" —. Difficile est huic vel negligentiae vel impudentiae parem reperire. Nam aut impudentia est, quae peritorum judicium non revereatur, dummodo se imperitae multitudini probet ac venditet: aut supina negligentia, immo ignorantia, eum, qui se Kantianum profiteatur hypophetam, nescire quid & ubi propheta dixerit. Atqui hic saepe id, quod ab Horreario quaeritur, dictitat, nisi iisdem verbis, certe iis, quae tantumdem valeant: est etiam, ubi paene iisdem, qui locus Horrearium quidem fu-

gere non debebat: est autem Elementaris Doctrinae Part. II. Sect. I. p. 66: quem nisi eleganter certe fideliter sic reddam; „Itaque puras „ notiones usque ad eorum semina & fundamen- „ ta in Intellectu humano persequemur, in qui- „ bus praeparatae jacent, donec tandem oc- „ casione Experientiae enucleentur, & per „ eumdem Intellectum adhaerescentibus ad eas „ conditionibus empiricis liberentur, & sua in „ puritate proponantur." Conferatur ibidem p. 93, & 286. At vero Horrearius non habens quomodo à pistrice tuâ se expediret, ad nominis calumniam confugit: dicit, *Experientiam, secundum Kantium, non inferre, sed inferri.* In quo primum ipse turpiter à Kantii sententia aberrat, quâ Experientia non inferri, sed ab Intellecta ex illatis extrinsecus sensuum visis formari, dicitur: quod est ipsum initium Introductionis p. 1: „ Experientia haud dubie pri- „ mum est opus (productum), quod Intellectus „ efficit, rudem visorum à sensibus allatorum „ materiam tractans." Deinde in *Experientiae* notione temere errorem mihi affingit. Ego enim ejus notionem secutus sum non Kantianam, sed communem & Latinam: idque perspicuitatis caussa; siquidem Kantiana vocabula *Intuitio*, *Sensualitas*, & similia, Latine reddita, cum absurda novitate etiam obscuritatem adferebant. Est igitur vana Horrearii captio.

X I V.

In eadem vanitate versatur septima reprehensio. Ego p. xxxv, haec posui: *Finium illa designatio accurata, ac veluti circulo & centro circumscripta, nondum à quoquam philosopho confecta videtur. Kantius quidem, si sibi constare & consentaneus esse vellet, ne conari quidem eam debebat. Qui enim cognitionem humanam, nec modo sensibilem ejus partem, sed & intelligibilem, à scientia & veritate ad opinionem ac speciem traduxit, seu, ut nunc loquuntur, ex objectiva subjectivam fecit, qui & ipse homo & ad eamdem naturae conditionem, ad quam caeteri omnes homines, adstrictus sit, quomodo is cum subjectiva sua cognitione fines veros, quos vocant objectivos, cognoscat? Quamvis enim concedamus cognitionem nostram esse opinabilem, subjectivam, tamen is, qui fines ejus se nobis designaturum profitetur, veros fines, eos qui sunt, non qui videntur tantummodo, objectivos, non subjectivos, praestare debet*". Hunc Horrearius locum nactus mirifice se in eo jactat: p. 29 — 31: „ Kantium quidem, inquit, si sibi constare „ & consentaneus esse voluisset, *ne vel* conari „ eam finium designationem debuisse autumas. „ Pro quo dictatorio edicto, quas affers, ratio„ nes, ejusmodi sunt, ut vix oculis ipse meis

„ cre-

„ credam, cum ne ipsam quidem vocabulorum, „ quae reprehendis, vim à te intellectam esse „ pateat. — Qui enim veros humanae cogni- „ tionis fines se nobis designaturum profitetur, „ nisi quid sibi velit, ipse plane ignoret, sub- „ jectivos, quos vocant, fines, eosque solos, in- „ telligat necesse est; ut de objectivis finibus *ne* „ *vel* cogitasse censeri possit". Haec pauca ad rem pertinent, recisis inanibus additamentis. Ego vero istius reprehensionis ansam non dedissem, si pro *subjectivo dubium*, pro *objectivo certum* posuissem, nec nimia liberalitate nomenclationi Kantianae indulsissem. Hodierni homines *subjectivum* dicunt, quod cogitatur: *objectivum*, quod per se esse etiam extra cogitationem censetur. Ergo omnis cogitatio est *subjectiva*: at eadem dicitur *objectiva*, si convenit cum re cogitata. Sed en mirum Horrearii acumen! „ Omnis finium, inquit, cognitio est subjectiva; „ ergo fines omnes sunt subjectivi." Nil vidi minus. Sic dicas, *Omnis cognitio trianguli est subjectiva: ergo omne triangulum est subjectivum.* Quod quis sanus non rideat? Et si quis nobis patriae nostrae fines ita ostendat, ut, procul ab iis stans, manum ad eos extendat, demonstrans montes, turres, alia signa, per eaque lineam ductam imaginari jubeat, dicamus hos fines dubios, eorum cognitionem dubiam. At

si

ſi quis praeſens fines, circumducto 'quaſi aratro & foſſâ, conſtituerit, nosque in rem praeſentem adduxerit, eamque oculis noſtris ſubjecerit, & abſentibus etiam conſpicuos fecerit, certis ſignis, veluti noctu lucentibus pharis, per juſta intervalla disponendis: hunc certos fines deſignasſe, certamque eorum cognitionem nobis attulisſe, fatebimur. Kantius autem dicens ſuum Intellectum ad formas à rebus ipſis discrepantes adſtrictum esſe, & cum hoc Intellectu, quaſi cum oculis lippis & natantibus fines cognitionis ſe nobis deſignaturum pollicens, à quo audietur? Ab illis nimirum, ſi forte, qui ſe magis etiam lippire putent: non ab his, qui meliores ſibi à naturâ tributos oculos exiſtiment, & certorum finium certam cognitionem quaerant: quam ille praeſtare nequit.

X V.

Octava incredibiliter eſt ridicula. Nam, ut ubique objiciens mihi ignorantiam & impudentiam, in eas ipſe incidit: ſic hoc loco manifeſtius & protenus labitur. Id oſtendere quamvis lepidum eſt, tamen moleſtum facit orationis inficetae repetendae neceſſitas; quod aliter res non ſatis apparet. „Quae porro, inquit, in ejus „ argumenti continuatione addidiſti, nihil aliud

„ pro-

„ probant nisi hoc unum, garrire te superbe atque
„ magnifice de re, quam plane non intelligis. Et
„ sane piget jam fere taedetque plura afferre
„ ignorantiae tuae exempla. At paulisper tamen
„ id faciam, non quidem copiose, sed breviter
„ & quasi strictim; ut quanta in te sit igno-
„ rantia & simul impudentia orbis literatus cog-
„ noscat. Et hoc igitur in Kantio reprehen-
„ dis, *quod se tribunal instituisse professus sit*,
„ *quo secundum ipsius Rationis aeternas & im-*
„ *mutabiles leges caussa Rationis judicaretur*,
„ *jus vindicaretur*, *fines constituerentur*. Tum
„ Philosopho, pro more tuo, insultans, haec
„ adjicis: *Quae tandem illa est Ratio? scilicet*
„ *humana*, *opinabilis*, *subjectiva*. *Hujus igi-*
„ *tur leges sunt aeternae & immutabiles? Ita*
„ *quidem de divina Ratione loquuntur alii phi-*
„ *losophi; & fas est ita loqui*: *non de huma-*
„ *na*: *nedum de hac infra humanae integrita-*
„ *tis modum à Kantio redacta*. Sed dic mihi,
„ Philosophe veterane, qui te ante hos jam
„ tres & viginti annos Kantium legisse, relegis-
„ se, praecipuos illius interpretes tibi prospexis-
„ se, eosque in consilium adhibuisse, gloriaris:
„ dic igitur, quonam in libro haec legeris,
„ quae lectori narras. Indica mihi locum, in
„ quo absurdissimum hoc Kantii decretum inve-
„ neris: ipse enim, qui etiam plurimis abhinc

„ an-

„ annis hujus philoſophi, praecipuorumque il-
„ lius interpretum ſcripta legi ac relegi, nihil
„ in eis ejusmodi, quod dicis, ſed plane contra-
„ rium inveni. Verum ne lectorem diutius de-
„ tineam, dicam ſimpliciter, omnia hic iterum
„ à te perturbata esſe atque commixta. Con-
„ fundis nimirum Rationem quam theoreticam,
„ cum ea, quam practicam vocant, & utrius-
„ que diverſam vim, diverſumque uſum. Ig-
„ noras, id quod vel pueris hacc Philoſophiae
„ ſtudia vix adeuntibus, ut ita dicam, in limi-
„ ne jam ſit cognitum, Rationem videlicet, cui
„ à Kantio leges tribuuntur aeternae atque im-
„ mutabiles, non eam esſe, quam theoreticam
„ vocant, de qua hic ſola agitur, ſed practi-
„ cam: & quamvis utraque pars ad eamdem
„ pertineat Rationem, theoreticae tamen, quid
„ verum ſit inquirentis, alium esſe uſum, item-
„ que alias leges, ac practicae, quid honeſtum
„ ſit videntis idque praecipientis. Haec omnia
„ à Kantio dilucide copioſeque expoſita, & ab
„ ejus interpretibus centies centiesque repetita,
„ à te turpiter confunduntur". Nimirnm tota haec lutulentae dictionis farrago ac tautologia, ut breviter complectar, ad duo capita redit: quorum in altero contendis, mi Horreari, Kantium id, quod, ut ab eo dictum, poſui, non dixisſe: alterum, me Practicam Rationem

cum

cum Theoretica confudisse. Ad utrumque tibi satisfaciam, sodes; utrumque secus esse ostendum. Kantius igitur illud decretum, quod tu *absurdissimum* vocas, pronunciavit in praefatione Criticae Purae Rationis, editionis primae, anno MDCCLXXXI, factae: quam ego tunc recentem, legere instituebam, quum tu nondum de Kantio suspicareris, fortasse ne nomen quidem ejus fando audivisses. Sic igitur ille, p. 5, quum de *indifferentia*, i. e. de negligentia & incuria, hominum illius aetatis erga metaphysicas quaestiones dixisset: *Haec*, inquit, *indifferentia est effectus, non levitatis, sed judicandi facultatis maturatae hujus saeculi se non amplius specie scientiae teneri sinentis, sed postulantis à Ratione ut denuo suscipiat difficillimum suorum officiorum scilicet officium cognitionis sui ipsius; & tribunal instituat, quod ejus postulata justa quidem tueatur, injusta repudiet, non dictatoriis edictis, sed secundum ipsius (Rationis) aeternas & immutabiles leges: hoc autem (tribunal) nullum aliud est, quam Critica Purae Rationis ipsius.* Poteram elegantius: sed pressius reddidi; ne quis me sensum mutasse insimularet. Nam in priore sermone p. XXXVI, vim sententiae brevius complexus sum. Hocce vero satisne disertum est documentum, & dixisse id Kantium, nec de Practica, sed de Theoretica Ratione, dixisse;

ſe; nec me utramque Rationem confudisſe?

Est ita, ut dicis, inquit Philalethes: incredibiliter ridiculus eſt bonus Horrearius, qui in eo te impudentem & indoctum dicit, in quo tu perite & modeſte agis, ipſe impudenter & imperite ruit.

X V I.

Nonâ laudes à me veteri Philoſophiae tributas refellere conatur. Scripſi p. XXXVII: *& quidam anguſtius, quidam latius Metaphyſicae fines aperiebant; ut vel ſola Ontologia eam circumſcriberent, vel Theologiam atque adeo Psychologiam & Cosmologiam adderent. Omnes autem in eo conſentiebant, ut eam ſcientia principiorum elementorumque cognitionis humanae definirent, ut quemadmodum Philoſophia omnium caeterarum ſcientiarum, ſic Metaphyſica totius Philoſophiae ſemina & fundamenta contineret. Atque hac ubertatis auctoritatisque exiſtimatione adhuc florebat; licet pleraeque ejus partes firmitate evidentiaque ſcientiae carerent.* Et. p. LIII, id quod tu differueras, Philalethes: *lecta illa Purae Rationis Critica, judicavi, melius eſſe retinere veterem noſtram ſive impuram, ſive mixtam quis vocet Metaphyſicam, & fecundam illam rerum ubertate, & ratione ſummopere probabilem, quam novam illam adoptare pro critica*

tica & pura se venditantem, non valentem ad veteres possessiones tuendas, nedum ad novas acquirendas, veluti vidimus de Deo, Immortalitate, Libertate: & alias desideramus: de rerum extra nos vera substantia, (i. e. res extra nos vere es~, nec tantum videri), de Animi & Corporis nexu, de imperio in se ipsum, de eodem confirmando adversus perturbationes & calamitates, de aliis quaestionibus ex Metaphysica proficiscentibus. Ad haec Horrearius: „ Metaphy„ sica igitur" inquit „ quamvis pleraeque ejus „ partes firmitate atque evidentia scientiae ca„ reant, tamen & est, & esse ac manere debet „ totius quasi mater Philosophiae, & haec rur„ sus caeterarum scientiarum. Quod si esset, „ ut tu dicis, communem humanae cognitionis „ sortem quis satis miserari posset? Quae enim „ esse potest probabilitas scientiae, cujus ple„ raeque partes firmitate careant atque eviden„ tia: & quales esse debent possessiones ejusmo„ di fundamentis innixae?" — denique profitetur se Kantianam doctrinam, ut firmiorem melioremque, sequi „ quippe" inquit „ in nobis „ non tanta est perversitas, ut inventis frugibus „ glande vescamur". In his verbis, quamvis paucis, multiplex inest inscitia. Primum Latinae consuetudinis; quod vim nominis *scientiae* non intellexit, quae est evidentia mathematica,

 op-

opponiturque evidentiae morali, quae dicitur universe *probabilitas*, ac tribus generibus continetur, Sensibus, Testimonio, Conjectura: de quibus tradidimus in Logica nostra, Parte III, Cap. VII – IX. Deinde rerum ignoratio: quod enim nemo nescit, qui Metaphysicae naturam novit, Horrearius nescit, ejus quidem initia vim scientiae, id est mathematicam evidentiam habere, progressus autem saepe exire in probabilitatem; & quo magis ab universali ad peculiare, ab initiis ad exitus, procedamus, eo magis vim evidentiae minui. Veluti initiis illis, Principio Repugnantiae, *Quod sit, esse, Quod non sit, non esse*, caet. & Principio Efficientiae, *Nil esse sine caussa*, nil est evidentius, & sunt mathematicae evidentiae: hinc progressus fit, *Ergo haec rerum universitas habet caussam & effectorem Deum, his valentem viribus & virtutibus, quibus eum valere necesse est, ut hujus universitatis caussa & effector sit, summâ intelligentiâ & potentiâ:* è quibus ut venimus ad propiora deinceps, creationem, providentiam, gubernationem, aliaque capita; ita loco evidentiae nobis occurrit probabilitas, sed ea tamen quae ab evidentia non multum absit, ejusque nobis vicem praestare possit. Tum, quasi nullius pretii sint disciplinae probabilitate contentae, nec aliis pro fundamento esse queant, ita loquitur; quales sunt multae

par-

partes Philosophiae, Logicae, Moralis, Physicae, aliae: Historia, Philologia, Critica, Antiquitates, Rhetorica —. Porro illam evidentiam inesse putat Kantianae doctrinae: cujus initia ficta verum exitum habere nequeunt. Denique hujus doctrinae expertes miseratur, quae ipsa expers sit principum Metaphysicae partium, Dei, Immortalitatis, Libertatis; quae partes hinc ad Practicam Philosophiam rejectae, verbis relinquuntur, re tolluntur: qua doctrina spreta, qui aliam sequantur, hos, repertis frugibus, glande vesci pronunciat.

Ut priora absurda, inquit Critobulus, ita hoc inficetum. Delicatum vero Horrearii palatum! cui priores omnes Philosophi, & Plato & Aristoteles, glandes videantur, idque prae duro & acerbo cibo Kantiano. Proverbium à Cicerone scite collatum in Athenienses, & frugum, & Philosophiae, & Eloquentiae inventores: horum dicendi rationem qui spernant, *inventis frugibus, glande vesci:* perverse Horrearius accommodavit Kantio, qui potius malus pistor fruges corrupit, panemque fecit parum salubrem & esculentum. Sed tu caetera prode.

X V I I.

Decima, inquam, reprehensio est p. 35—41,

loci noſtri de Categoriis: in quo eum illa Philalethis pistrix, quamvis disſimulantem, male habet. Caeterum ſuum illud conſtanter tenet, nil ut rationibus refellat, ſed clamet nos Kantianam doctrinam non intelligere. Veluti quod poſui p. xxxviii: *Dicit enim K. Categorias ante ſenſibilium viſorum adventum in Animo eſſe, nec tamen cogitari, ſed per illa demum excitari. Hoc poſſumus intelligere in Platonis opinione de Reminiſcentia notionum ex priore vita ſervatarum: in Leibnitzii Harmonia Praeſtabilita: in notionibus ac viſis memoria reconditis: in facultatibus Animo à natura tributis necdum actione vigentibus: in iſtis Categoriis intelligere non poſſumus.* Haec, quibusdam omisſis, apponens, ſubjicit: „*Quod poſterius quin verum ſit, equidem nullus dubito*". Acute ſcilicet, ut omnia! Ergo Horrearius intelligit? Intelliget eadem ratione, circulum eſſe quadratum, & ſimilia. Tantum eſt hominis ingenium! Sed tamen cauſſam adfert, quod rariſſime facit: „*Vel* an hoc tibi „ abſurdum eſſe ſibique ipſum repugnare vide„ tur, formam videndi audiendive in fabrica no„ ſtrorum oculorum vel aurium latere antea, „ quam idonea affluente luminis aërisve copia, „ viſa atque audita hiſce ſenſibus percipiamus? „ Nulla profecto in hac doctrinae Kantianae „ parte oſtendi repugnantia poteſt — ". Diverſiſ-

ſſima conjungit bonus Horrearius cogitandi & ſentiendi officia. In ſenſibus corporis concedimus, ut in corporeâ naturâ: in Animo non concedimus, &, ut Latine loquar, ***non intelligere***, nullam ejus negotii notionem nobis informare, posſumus, niſi ſi Animum corporeum esſe ſumamus: & ita magis etiam in hoc negotium conveniet imago piſtricis in ſartagine popana coquentis. Simplicem quidem Animum esſe nobis ſtatuere non licere, in Paralogismis demonſtrasſe ſibi viſus eſt Kantius. Mox meae dictioni prorſus contrarium ſubjicit ſenſum; ſcilicet, quo facilius eam refellere posſit: „ & hoc male ***reprehen-***
„ ***dis***, inquit, iſtas Kantii Categorias non jus-
„ tum habere ortum, numerumque duodenarium
„ iis temere ut necesſarium affingi". Male Latine dicit: ſed videmus quid velit. Neque enim hoc ego ***reprehendo***, ſed ***ſtatuo***, ***objicio***, ***arguo***. Pergit: „ in qua accuſatione probanda, tibi
„ conſentaneus manſiſti: omnia nimirum denuo
„ miſcens ac perturbans. Ita Categorias, exem-
„ pli causſa, (neque enim omnia, quae huc
„ pertinent, recenſere lubet) confundis cum
„ illis animi notionibus principibus, velut ***con-***
„ ***ſcientia ſui***, ***principio repugnantiae***, ***vero fal-***
„ ***ſoque***, ***bono & malo***, ***pulcro & turpi***, qui-
„ buscum Categoriae nihil habent commune".
Atqui Horrearius mea cum ſuis commiſcet. Quis

 enim

enim nescit, quae sint duodecim illae Categoriae Kantianae: neque in his ego numeravi Conscientiam sui, Principium Repugnantiae, Verum & Falsum, Bonum & Malum, Pulcrum & Turpe; sed illud pronunciavi p. XLII, has & alias contineri in classe notionum principum & seminalium multo magis, quam plerasque Categorias Kantianas; illarumque notionum generationem censumque à prioribus Philosophis factitatum exhibui. Quod autem Experientiam diximus inferre notiones in Animum, eique pistricis munus dedimus, ab Horreario autem arguimur erroris, quod Experientia non inferat, sed inferatur, jam supra Num. XIII, diluimus. Nam & in hoc loco, & in eo, quem Horrearius reprehendit p. XXXIX, quod diximus *Categoriam Spatii*, noluimus nomenclaturam Kantianam sequi: & de Spatio locuti sumus, ut de notione, quae item, ut caeterae Categoriae, in hoc gradu censuque habenda, & ab Aristotele in Categoriis numerata fuisset.

XVIII.

Undecimae argumentum est placitum Kantianum, quo fastigium continetur omnis reliquae admirabilitatis & incredibilitatis, & quod Graece disertius dicatur, δόγμα ὃ ὥσπερ κολοφῶνα ἐπέθηκε πάσῃ τῇ παραδοξολογίᾳ Kantius, quo statuit

Pu-

Puram Rationem non ultra fines Experientiae, nec ad res, quae sensibus corporis attingi nequeant, progredi posse; & proinde gravissimorum dogmatum, Divinae Naturae & Providentiae, Libertatis & Immortalitatis Animorum humanorum, probationem non Purae Rationis, id est Metaphysicae, sed Practicae Rationis esse argumentum: ita enim posui in priore sermone p. XLVII, sequ. & multis rationibus consutavi, quas nunc repetere non attinet. Harum, ut solet, nullam vicissim confutat Horrearius; sed appositꝯ partim illa dictione mea, sic respondet: „ Ita „ certe statuit Kantius. Et recte quidem: ut „ norunt omnes, quotquot illius vim doctrinae „ illustremque, qui est de *Antinomiis*, locum „ satis perceperunt. Tu igitur, si quid hac in „ re efficere voluisses, universum illum locum „ omnesque ejus partes confutare singulatim „ debuisses, & dein dilucide ostendere, patere „ revera Rationi humanae aditum ad illas, Dei, „ Immortalitatis, ac Libertatis notiones earum„ que demonstrationes, atque omnino nihili es„ se ea omnia, quibus à Kantio effectum est, „ demonstrationes à Philosophis adhuc & inven„ tas & usitatas nihil prorsus probare, & in utram„ que partem valere, nec magis evinci, iis pos„ se illa dogmata vera quam falsa esse. Hoc si „ fecisses, virum te praestitisses; veroque id phi-

 lo-

„ losopho fuisset dignius, quam, quod nunc „ facis, quae centies dicta & centies refutata „ sunt repetere" —. Caetera ipsi legatis, & videatis cujusmodi hanc responsionem esse putetis.

Discipuli, inquit Philalethes, infatuati magistri effatis, eaque pro demonstratione jactantis: sed bonus Horrearius in suam ipse reprehensionem incidit: *qui virum se praestitisset*, si ostendisset, illas illustres Kantii *Antinomias*, justas argumentationes, nec vana sophismata esse. Hospes fit in historia Dialecticae qui ignoret talia *ἀντιστρέφοντα* multa à Veteribus tractata, in Jure *antinomiarum* nomine appellata, & ad omnes, exceptis mathematicis, disciplinarum locos adhiberi: quorum nullus est, quin de eo in utramque partem disputari possit. Hospes item sit non modo in Veterum, sed & recentiorum Philosophorum scriptis, qui nesciat tres illas quaestiones, de Deo, Immortalitate, Libertate, in omnibus metaphysicis commentariis & compendiis, tradita, & multo melius demonstrata, quam à Kantio aliisque oppugnata esse. Nam & hoc ante eum alii factitaverant. Sed in illis *ἀντιστρέφουσι*, vicissim se evertentibus quaestionibus, videndum qua in parte plus probabilitatis resideat, eaque suo gradu juste aestimanda. Hoc Dialecticus quisque facit: infatuatus magistri

ſtri effatis diſcipulus non facit: ut Horrearius, qui iſtis captiunculis captus, tenetur, haeret, ſtupens magiſtrum veneratur. Et in tribus illis quaeſtionibus cum ſint rationes in utramque partem, i. e. pro iis & contra eas, probantes & improbantes, ſtatuentes & tollentes, ut Graeci loquuntur, *κατασκευαστικοὶ λόγοι* & *ἀνασκευαστικοὶ*, probantium numerus & pondus adeo ſuperat numerum & pondus improbantium, ut probabilitatem veritati proximam obtineat. In hoc K. & ſe & alios decepit, quod in Metaphyſica non niſi mathematicam evidentiam voluit, probabilitatem nec voluit nec ejus gradus diſtinxit.

Tum vero, inquit Critobulus, quod in hoc *παραδόξῳ* omnium longe eſt *παραδοξότατον*, & manifeſtum *ὕστερον πρότερον*, Theoretica dogmata ex Practico ducuntur. Kantius argumentum hoc primus concluſit: *recte agere debeo; Ergo eſt Deus;* caeteri omnes naturam & rationem ſequentes, ſic, *Deus eſt, Ergo recte agere debeo.* An igitur illud ratione concluſum eſt? *Eſt poſtulatum*, inquit. Quae tandem ſic poſtulandi vel facultas, vel neceſſitas, tibi eſt? *Habeo in me*, inquit, *Imperativum Categoricum, jubentem recte agere: hic a Deo eſt; ergo Deus eſt: & Libertatis ſum particeps ad agendum; nec enim Deus me juberet agere, niſi liber eſſem:*

 idem

idem vero Deus animadvertit hominum bene & male facta remunerando & puniendo; quod quando in hac vita non fit, necesse est aliam esse, post hanc, vitam, & Animos esse immortales. Haec ita sunt conclusa, quasi comica persona superstitiosa eadem & stupida agatur: non quasi philosophus loquatur, quid sit postulatum, quid consequentia, intelligens. Communis quidem hominum vita & natura, notionem Dei suscipit ex contemplatione rerum admirandarum hujus mundi, & ab effectis ad caussam progreditur: *Quid enim potest esse tam apertum atque perspicuum, cum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur.* Notum est effatum Stoici apud Ciceronem De Nat. Deor. II, 1. Et eamdem omnes Veteres tenuerunt viam in Physicae capite inscripto, *πόθεν ἔννοιαν ἔσχον θεοῦ οἱ ἄνθρωποι, unde homines notionem Dei acceperint;* quod exstat apud Plutarchum De Placitis Philosophorum, I, 6: Plinium Hist. Natur. II, 5: Sextum Empiricum Advers. Mathemat. IX, 13, sequ. Philonem Judaeum T. II, p. 216. Lucretium V, 1166: alios. Et hoc argumento contenti eramus. Venit deinde Anselmus Cantuariensis Saeculo XI exeunte, qui è sola Dei notione & possibilitate eum esse cogere vellet. Denique nostra aetate exstitit Kantius, qui Deum

esse

esse postularet & categorice imperaret. *Venimus ad summum fortunae!* — Sed de hoc, ut de duobus aliis capitibus, Immortalitate & Libertate, tu ad communem captum & sanam rationem ages in Metaphysico tuo libello, si forte, edendo. Nunc nobis reliquas Horrearii Kantianas criminationes recense.

XIX.

Atqui, inquam, absolvi istam pensi partem: haec enim, de quibus dixi, fuerunt accusationis in illo genere capita. Nam quum duo spectanda sint, ut in omni alia disceptatione, sic in hac de Kantio, alterum *quid* dixerit, alterum *quale* dixerit, id est *vere nec ne*: de illo diximus superiore sermone: de hoc nunc dicendum fuit, saltem quatenus adversarii istud suum jactasent, me Kantii placita non cepisse.

Immo, inquit Philalethes, unum etiam nunc superest caput, illud, in quo te arguit tempus non juste notasse, quando puella Kantiana Belgice loqui coepit.

Ingens, inquam, crimen! cui tu quaeso pro me respondeas; ut ego defessus jam labore atque itinere disputationis, in tuo sermone, quasi aliquo peropportuno diversorio requiescam. Venit

nit enim mihi in mentem illud apud Ciceronem De Orat. II, 57, in simili caussa ad Caesarem dictum ab Antonio. Nostin'?

Novi, inquit. Et vero tibi Caesaris verba propemodum repono: Nam non nimis liberale dices hospitium meum, qui te mox, simulac perpaululum requieveris, extrudam, & in grammaticam disputationem conjiciam.

Hoc tunc videbimus, inquam: nunc quod instituisti, perge.

Igitur, inquit, in fine hujus loci Kantiani vehementer queritur Horrearius, quod scripsisti p. 11, *hanc Philosophiam duodeviginti annos natam fuisse, quum nostri homines eam apud nos producerent, & Belgice crepare cogerent: apud Germanos tunc vetula habebatur: & erat sane pro genio saeculi effoeta* —. „ neminem, „ ait, fugere posse, nisi qui in recentioris Phi- „ losophiae historia hospes plane & peregrinus „ sit: ipse enim superiore jam saeculo, anni „ sexti & nonagesimi initio primam meorum „ Philosophiae Kantianae elementorum partem — „ Belgice in lucem exire jussi: postquam duo- „ bus annis ante, ut eram discendi cupidus mi- „ hique diffidens, dubia quaedam contra hanc „ Philosophiam modeste atque ἀνωνύμως in pu- „ blicum emiseram" —. Sed taedet me infice- tae Latinitatis: igitur media parte praetermissa, fi-

finem faltem fententiae addam: „ Sed difficile „ non effe puto perfpicere, quo & hoc tuum de „ duodeviginti annis mendacium fpectet. Ho- „ mini enim tam fui pleno nec verum cordi eft, „ nec bonum, quod honeftum dicimus". His poftremis verbis nec ratio nec fententia conftat: videtur autem fignificare, te annis ita numerandis magnum aliquod flagitium & fcelus moliri: prioribus autem nos docet, fe jam ante editum Horreum nos beasfe Belgicis de hoc argumento fcriptis, noftramque beatitudinem tribus annis antiquiorem effe, quam putabamus: quod ego fane ignorabam nos tunc jam beatos fuiffe, & hujus aerae Belgicae initium ponebam annum nonagefimum nonum, quo edidit Horreum, & nova lux Belgio lucere coepit. Hoc nefcire erat turpis error: mentiri, ingens flagitium: cenfere autem fe partem Hiftoriae Philofophiae recentioris, magna & propria Horreario modeftia. Nunc vero, quod coepit Belgica Latinitate Kantianam doctrinam ornare, hunc annum MDCCCIX ut *principium novae epochae Latinitatis Belgicae Kantianae* in faftis notabimus. Deinde te nefcire quantopere ftudium hujus Philofophiae in Germania vigeat, quod Ephemerides non legas! Quas quidem ego diligenter lectitans, & cum viris doctis in Germania viventibus literarum officium colens, & cum recens inde advenis fubinde

de colloquens, Horreario affirmare possum, illud studium propemodum defecisse & evanuisse: cum primo ad Fichtianam, tum ad Schellingianam rationem abiisset, jam ad Platonis exemplum erigere se videatur. Sed cum aliis ineptiis, tum hac gloriola, in Horreo ridiculus fuit Horrearius, quod subinde jactavit, quantopere nova haec lux non modo in Germania ubique splenderet, sed jam vicinis, Gallis, Italis, Britannis oriretur, aliis mox oritura esset. Quod ipse lectoribus confidenter venditabat: & horum plerique rerum exterarum ignari id sibi imponi patiebantur, & credebant. — Tu vero jam ex hoc quietis diversorio exi, nobisque, quod superest operis, absolve.

XX.

At tu, virorum optime Philalethes, noli me, inquam, adhuc fessum, in viam extrudere, mihique, atque adeo tuae naturae ad liberalitatem factae, vim inferre. Jam vobis unum ex hoc Augiae stabulo Kantianum cophinum egessi: mox duos alios egeram, Graecum & Latinum. Sunt hi tres Herculei labores: concede ut, primo exantlato defatigatus, me ad reliquos duos confirmem: & tu cogita quantum acutis tuis naribus foetoris hauriendum sit: &, dum eas quiete refi-

cis

cis ad inſtans taedium ferendum, narra nobis novum quid; qui es λόγων θύλακος, & ſemper quid in promtu habes vel novum, vel vetus facete innovatum: quidquid narraveris, jucundius erit his Horreariis tricis; quas ut effugiamus, vel tu diem dicendo extrahas.

Recte mones, inquit, ſed ſcin' quid vobis narrem? quid vobis narrem? Habui aliquid rei praeſenti aptum: at nunc me prorſus fugit: hem! quid tandem fuit? jam memini; fuit hypohypophetae negotium.

Quid hoc monſtri eſt? inquit Critobulus.

Eſt hic, inquit, quem modo Magiſtrum Equitum vocavi. Et hujus ego libellum mecum attuli, & domi ſolus legi: eſt fere unice de argumento Kantiano, &, exceptis pauciſſimis locis, nil habet, quod non item habeat Horrearius; qui conſilia & argumenta inter ſe ita contulerunt; ut, quod hic bene Belgice, ille male Latine diceret. Ad hunc nos ablegat Horrearius, ut *ſedulo* nos confutantem, id eſt *confutare volentem.* Atque ſic eſt. Habet paulo plus, quam ille, facilitatis & elegantiae, humanitatis: certe minus inhumanitatis, irae, convicii: caeterum item eſt ſuperbia in pronunciando, diſſentientibus ignorantiam Kantianae ſententiae objiciendo, Dialecticae viam ignorando: ubi vero facetus eſſe vult, non quidem, ut Horrearius, pue-

ri-

tilis conviciator, sed tamen absurdus & frigidus nugator fit. Quae autem disputationi Horrearii adjecit, haec fere sunt.

XXI.

Pag. 177: Repetit Horrearii sophisma à te confutatum, *nullam esse Kantii Metaphysicam*, illud addens: *ubi tandem K. dixit eam constare meris notionibus intelligibilibus?* Ubique hoc dicit, inquam, ubi de hoc argumento loquitur: vel Praefationem videas Criticae Purae Rationis, & in ipso libro v. c. p. 870, volens *eam constare* ex puris notionibus Intellectus, & esse cognitionem factam per solas *Ideas*, quas *Conceptus Rationis* (Vernunftbegriffe) vocat, segregatam ab omni Experientia & Sensuum officio, (Sensualitate).

Pag. 180. Quod tu p. xxxiv posuisti Kantii placitum, *Intellectum ex Categoriis duo nova effingere notionum intelligibilium genera, Conceptus Reflexionis & Ideas:* Censor pronunciat, *te omnia turbare; Conceptus enim Reflexionis non esse novum genus notionum, sed ad Categoriarum comparationem adstrictas esse.* At ipse turbat, & cavillatur. Kantius enim, qui ubique haec tria genera notionum intelligibilium inculcat, & Categorias fundamenti ac principii in-

instar ponit, certe ex his duo reliqua ab Intellectu formari ait. Nam quum priores Logici has tres ipsas Intellectus actiones tenuissent, Notionem, Judicium, Syllogismum, Kantius vetera recoquens, eas, mutatis nominibus, ita ad novae doctrinae speciem immutavit, ut ex Notionibus *Categorias*, ex Judicio *Conceptus Reflexionis*, ex Syllogimo *Ideas* faceret. Hos Conceptus Reflexionis duxit ex Categoriis: ex Quantitate, *Identitatem* & *Diversitatem:* ex Qualitate, *Consensum* & *Dissensum:* ex Relatione, *Internum* & *Externum:* ex Modalitate, *Formam* & *Materiam;* unde oriri genera Enunciationum. Illud autem, quod priores dixerant *judicare*, duas notiones tamquam subjectum & praedicatum conjungere vel disjungere, ipse *reflectere* vocavit. Porro *Ideas* principium & fontem Syllogismi fecit, ductas ex Categoriis Relationis, Substantialitate, Caussalitate, Communione; unde tria Syllogismorum genera existere, *Categoricum*, *Hypotheticum*, *Disjunctivum.* Et nisi ita esset, ut Intellectus à Categoriis & sensibilibus visis profectus ad duo reliqua notionum genera progrederetur, eaque ex illis fingeret, formaret, efficeret; necesse erat, ut haec duo in Mente vel item ut Categoriarum formae ac receptacula impressa, vel alioquin innata essent. Quorum neutrum statuit Kantius. Nos autem

hoc loco tantum quid dixerit, non quale, recte necne dixerit, quaerimus. Legat Censor ipsum auctorem in Critica Rationis Purae, de Conceptu Reflexionis p. 316, sequ. & de Idea p. 367, sequ.

Pag. 184. Facetiam captat, qua imprudens se ipse ferit. Dixeras p. xxxv de Kantio, *quomodo is cum subjectiva sua cognitione fines veros, quos vocant objectivos, cognoscat.* Hoc ab Horreario impugnatum, à te vindicatum, ipse sic reprehendit: „ Id est quasi dicat, qui profitetur „ se in Insula habitare, ejusque fines nobis de„ monstrare, hic nobis fines terrae continentis „ demonstrare debet". Insulae comparationem tacitus arripuit ex Kantii Critica Purae Rat. p. 235. Sed haec nil ad nos. Neque enim nos censemus in Insula nos habitare; sed in continente, unde via nobis pateat ad rerum extra Experientiam positarum inventionem. Deinde fatetur Censor, quod ipse non vult, fines continentis esse *objectivos* & veros. Denique, qui hebetes oculos, judicium incertum, sibi esse fateatur, & tamen Insulae certos fines aliis demonstrare audeat, quae hunc Salus ab interitu servet, quo minus in mare illud impetuosum, à Kantio significatum, incidens pereat?

Ibidem dixeras: *Licebat Dogmaticis hoc profiteri, Pythagorae, Platoni, Eleaticis, Aristote-*

te-

'teli, *Stoicis*, *Epicureis*, *Cartesio*, *Leibnitzio*, *Wolfio*. Ad haec ille: „ Excepto Platone & „ Eleatica schola, nemini horum licebat: & „ fortasse minime omnium Leibnitzio, qui *phae-* „ *nomena* pro rebus habebat, quamquam ea „ sic appellabat, quod ea non nisi confuse nec „ accurate nobis percipiantur, nec qualia extra „ nos revera sunt. Qui hoc statuit, is, si sibi „ consentaneus esse velit, fines omnes repudia- „ re debet. Videtur W. phaenomena Leibnitzia- „ na & Kantiana confundere: quod ut suspice- „ mur, facit vocabulum *opinabilis*". Loquitur de rebus sibi ignotis, ut qui Philosophiae Historiam ne à limine quidem salutaverit. Nam contra se res habet: si exceptio in quosdam horum valeret; Platoni, Eleaticis, & Leibnitzio id minus licuisset; quippe corpoream rerum partem, opinabilem, δοξαστὴν & φαινομένην nomine appellantibus. At iidem rerum incorporearum & intelligibilium veritatem tuebantur, nec eam sensibilis originis ludibrio subjiciebant. Ergo & his & Leibnitzio licuisset finium designationem suscipere, nec sibi non consentaneis manere; quippe haec phaenomena, hae umbraticae imagines, tamquam in Platonis illa spelunca, non sunt vagae ac temerariae, sed eamdem constantiam mutationum servant, quam corpora, ex quibus veniunt; ut earum fines, & quasi

σκιαγραφία, designari possent. Denique nulla fuit nostra *confusio* phaenomeni Leibnitziani cum Kantiano, sed *comparatio* fuit. Confunduntur, quae diversa pro iisdem habentur: at comparantur quae, quamvis diversa, quibusdam in partibus inter se convenire ostenduntur.

Pag. 185 — 187. Iterum infeliciter jocatur. Nam quod tu posueras p. XXI, & XXXVI, *Kantium pronunciasse, se tribunal instituisse, quo secundum ipsius Rationis aeternas & immutabiles leges, ipsius caussa judicaretur, jus vindicaretur, fines constituerentur:* Horrearius contendebat, Kantium hoc nusquam dixisse, te Theoreticam Rationem cum Practica Ratione confudisse: tu utrumque confutasti, apposito Kantii loco: Censor in eadem ignoratione haerens, aliquid etiam de suo sale adspergit, dicens „ te immane quantum distentis cruribus, „ alterum pedem in Theoretica Ratione, alte- „ rum in Practica ponere, plane ut ille Sancti „ Johannis angelus manu tenens librum, ut tu „ Bibliothecam Criticam, alterum pedem in ter- „ ra, alterum in mari ponat: & plane est simi- „ lis res, inquit; nam Latinus iste de Philoso- „ phia libellus, item, ut ille angeli, dulcis est „ in ore, sed acerbus ad manducandum. Sed „ lectores nobis hanc digressionem ignoscant — !" Atqui ipse facit, quod te arguit: tu in una stas

Theo-

Theoretica Ratione, ille in utramque se distendit. Mirum etiam est, ut in hoc quamvis crasso errore, tamen de se ipse imprudens verum dicat. Veluti, libellum tuum manducanti amarum fieri: credo! subest enim dulcedini veritas, quae hominem pungit. Et vero ignoscimus ei digredienti: quin miseramur indecore se spectaculo praebentem, ipsum stantem altero pede in Apocalypsi, altero in scena tabernarii scurrae: qui hoc se Censorem Oeconomico - Literario - Theatralem, decere putet.

Tum Critobulus: Immo duabus innititur Apocalypsibus, Johanneae & Kantianae.

Consequenter profecto; inquit Philalethes; cui Kantiana ratio divinam auctoritatem habet. Porro p. 188, denuo confundit, ipsum hoc *confundere* & *comparare*. Ad ea quae tu dixisti p. XXXVIII, respondet: „ quid tandem commune „ habent Kantii Categoriae cum Platonis notio- „ nibus?" Scilicet id, sodes, quod utraeque sunt in Animo ante adventum sensibilium visorum. In hoc conveniunt, caeterum diversae.

Tu p. XLI, recte monueras, in numero duodenario Categoriarum constituendo non satisfactum esse rationi: v. c. *Limitationem* ad Quantitatem referendam potius quam, ut Kantius fecit, ad Quantitatem, & instar Particularitatis esse: male ex Enunciatione Infinita duci, quam ipsam non satis accurate ab

Enunciatione Negante diſtingui: *Relationem* ſuis finibus non diſtincte circumſcribi, & ad alias item Categorias pertinere: Relationis & Modalitatis, quum ſex utriusque recenſeantur Categoriae, Relationis Subſtantia & Accidens, Cauſſa & Effectus, Actio & Paſſio, Modalitatis Poſſibilitas & Impoſſibilitas, Eſſe & Non eſſe, Neceſſitas & Contingentia, has in utraque non niſi pro tribus numerari. Ille horum non niſi duo attingit. De Limitatione quum ſe non expediret, dixit eſſe *verborum captionem.* Debebat etiam hoc vereri, ne poſita inter Realitatem & Negationem media Limitatione, idque in Qualitate, inter Nihil & Aliquid quoddam medium poneretur, & Principium Excluſi Medii tolleretur: debebat & rationem habere eorum, quae Schwabius de eodem loco Kantiano monuit. In altera reprehenſionis parte, qua pro ſenis non niſi tres numeratae Categoriae arguuntur, in unam involat, ad quam reſpondere poterat, de *Cauſſa & Effectu*, hebetem & imperitum te clamans, & quaſi in triumpho ducens. Scilicet hoc tu ignoraveras! Cauſſam & Effectum eſſe reciproca, ſive *relativa*, & ubi alterum ponatur, ibidem & alterum poni. At enim recte feciſti univerſe memoranda illa numerationis repugnantia: Cenſor ſophiſtice fecit, qui reliquas difficultates tacendo diſſimulavit, quum oſtendere

de-

debuisset, Modalitatis item Categorias, Possibilitatem & Impossibilitatem, Esse & Non esse, Necessitatem & Contingentiam, binas quasque eo vinculo esse nexas, ut pro una numerari posſent.

Notionum generationém naturalem à te designatam secundum priores Philosophos, p. XLII, ille mirifice carpit, carptimque memorat p. 194: tum convertens se ad lectores, „Quid" inquit, „videtur nostris lectoribus de hoc W. inventario psychologico, quod substitui vult tabulae „Categoriarum Kantianae?" Scita interrogatio! quasi omnes lectores, cum Censore sentirent. Facilis responsio, quam hic non praevidit: lectores intelligentes & peritos hanc Naturae ennoeogoniam probaturos: Kantianis Categoriis infatuatos, improbaturos. Animam autem à te informatam ut recentem in corpore advenam, versum aliunde arripiens & auctorem ignorans, notat appositis verbis *animula, vagula, blandula*, plane à re alienis. Hadriani Caesaris fertur morientis, à Spartiano in ejus Vita Cap. 25, proditum,

Animula, vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quae nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula;
Nec, ut soles, dabis jocos.

An vero, judicio cenforis, eadem funt *abire* & *advenire*, eadem anima, quae nondum quid egit, & quae jocos dedit, qualem fuam ipfe vult? Potius alium locum Hadriani ex eodem libro, Cap. 16 fibi fumsisfet, ac Dictatori fuo fubjecisfet:

Ego nolo Florus effe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Rurfus feftivitatem captans aberrat à veritate p. 199. Quod tu recte monueras p. LI, fcholae Kantianae decretum hoc, *quia res fenfibiles ad Tempus & Spatium adftrictae funt, ideo res non fenfibiles non ad Tempus & Spatium adftrictas effe*, eodem errore conclufum effe ac fi quis fic dicat, *Omnes canes habent quatuor pedes; Ergo, qui non funt canes, non habent quatuor pedes:* hoc igitur verisfime à te monitum, fic eludere conatur, ut legentibus fumum objiciat, mihi aliquid pro mea piftrice reponat, quae eum valde pungere non definit: „ Fingamus", inquit, „ tuos pedes & pedes canis „ esfe *νοούμενα*, & esfe aliquem qui eos adfpiciat per dioptram vitri viridis; necesfe erit, „ ut ei hi pedes viridis coloris esfe videantur". Nil vidi acutius, & tali dialectico dignius! qui hoc argumento fe ipfe caedat. Nonne videt

hinc

hinc ſequi, quia res ſenſibiles per hanc noſtram Senſuum quaſi dioptram Spatio ac Tempori adſtrictae ſunt, etiam intelligibiles res iisdem adſtrictas esſe, & his utrumque eodem jure, quo ſenſibilibus, tribui debere. Et quando Cenſor dioptrâ delectatur, referam ei veterem fabulam, ipſi admonendo accommodatam & ſalutarem. Sic autem narratur: Fuit olim ludi magiſter ruſticanus, pinguis, crasſo corpore, voce ſonora, qui, impoſitâ naſo dioptrâ, legere in templo & praecinere ſoleret, civibusque ſuis ruſticis valde probaretur & ſapiens videretur. Ab his gravi in causſa pagi ad Praeſidem Provinciae orator eligitur: ſuſcipit munus, legatur, proficiſcitur: in itinere venit ad rapidum flumen anguſto ponticulo junctum: ſubſiſtit; dubitat quid faciat: tandem conſilium expedit: Nae, inquit, ego te ex anguſto latum faciam: imponit naſo dioptram: tranſire pergit: at mox, pede extra pontem poſito, decidit, & miſer in undis periit. Vin' etiam, Cenſor, epilogum fabulae, quem vulgo barbare *ſenſum moralem* & *applicationem* dicunt? an vero ſatis diſerte

mutato nomine, de te
Fabula narratur?

Per imperitiam bis p. 200. *categorumena* in *categorumeta* mutavit.

Denique gloriatur in exitu, se statim ex edito tuo libello, hanc responsionem conscripsisse, nec nonum in annum distulisse. Quae pariendi celeritas minime miranda est in talibus scriptiunculis & levitate, quales sunt Horrearii & Censoris: volatici libelli, quorum nec ratio, nec oratio, nec materia cogitationem postulat, & similes plures non stultissimus quisque una insomni nocte fundere possit.

Solvi promissum tibi, W, munus: tuum jam est, ex ista intervalli quiete ad institutum opus surgere.

Tu vero, inquam, non modo solvisti, sed cumulasti; multo enim acrius adversus Censorem, quam ego adversus Horrearium, disputasti.

Et recte quidem, inquit Critobulus, fecit, quod acrius disputavit, quam tu: qui, quod Ruhnkenius dudum in te desideravit, id hodieque es, nimis lenis & remissus adversus vituperatores, quamvis malevolos & maledicos. Quamquam enim rei & argumento satisfecisti, tamen subinde sic egisti quasi Horreario parcens, & metuens ne nimium eum premeres: qui primum te lacessivit, tum tuam lentitudinem spernens, sero tandem à te admonitus, novae socium injuriae sibi allegavit, quocum maledicendi provinciam partitus, inauditam quamdam & indignam humanis auribus verborum contumeliam in te effu-

fu-

fudit. Et absque ipforum impudentia fuisfet, invidiam apud bonos viros tibi fecisfent; quorum nunc nemini quidquam fuorum criminum perfuaferunt, meram mentiendi libidinem & conviciandi infolentiam adferentes. Veluti, ut duntaxat de genere Kantiano dicam, in hoc quomodo verfati funt? Tu istius doctrinae fummam brevisfime ac perfpicue defignaveras, vanitatem multis firmisque argumentis demonftraveras: quorum unum folum eam vim haberet, ut totam illam doctrinam labefactaret. Isti partim & curfim quaedam captarunt, quafi canes è Nilo lambentes, nil via & confiderate tractantes, fuum illud fere jactantes *non intelligis Kantium*: quod ubi jactare non posfent, tuum argumentum non rationibus refellerunt, fed Kantianum placitum nude ac fimpliciter fic affirmarunt, ut dicerent, *Omnino vere fic ftatuit Kantius: ut ipfe demonftravit;* quamquam tu hoc confutaveras: unum Kantium, nec hunc fatis, nofcentes; novi & recentes: negantes eum dixisfe, quae antea dixit quam ipfi in eum inciderunt: nec placita ejus perfpicientes, nec ejus Germanicam, nec tuam Latinam orationem intelligentes: Logicae expertes, nec definire, dividere, argumentari, fcientes: omnia turbantes, ftatum quaeftionis invertentes, aliud alio permutantes, impudenter crepant te Kantianas fententias non intelligere, in quas

quas ipsi parum sibi intellectas jurarunt: de suis mendaciis quid prudentes viri judicent non curantes, dummodo ea imperitae plebi persuadeant. His tu parcas?

Optime Critobule! inquam, nostine Biantis praeceptum?

Quodnam illud, inquit, & cui bono?

Illud, inquam, *φίλει ὡς μισήσων, καὶ μίσει ὡς φιλήσων*, quo jubemur ita amicitias colere, ut aliquando osuri, inimicitias autem sic exercere, ut amaturi. Hujus ego praecepti alterum disjunctum sequor, alterum corrigo, *φιλῶ γὰρ ὡς ἀεὶ φιλήσων, μισῶ δὲ ὡς αὖθις φιλήσων·* amicus sum, ut semper amaturus; inimicus, ut rursus amicus futurus. Itaque nolui inimicum insanabili offensione vulnerare, & omnem gratiae spem excludere.

Tu videbis, inquit, qualis ista gratia futura sit: nunc vero, quod Philalethes te vult, reliquas partes tuas age, & grammatica vitia recense.

XXII.

Satis, inquit Philalethes in K. spineto reptavimus: veniamus ad alia, quae ad amoeniora excurrendi facultatem praebeant, Graeca, Latina, Literas; quo ex genere multa, & sponte, & à vobis monitus, annotavi. En locos, en librum! Vi-

Video, inquam, genera, *Graecum*, *Latinum*. De illo primum dicam.

Et principio p. 9, apponens dictum, *φιλεῖ γὰρ ἑαυτὸν πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα*, simul & à sententia & à metro aberrat. Nam, ut ipse posuit, nullus exstat sensus, *Amat enim seipsum plus nemo quemquam*. Verum est, Φιλεῖ δ' ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα, *Amat enim seipso nemo plus quemquam*. Ita & sententia & Jambicus Senarius apparet: qui vulgo in Gnomis Monostichis fertur.

Mirum, ait Critobulus, istud in homine, qui tibi metri ignorantiam objicere ausus sit. Referat hoc ad suum amicum. Sed perge ad alia.

Quod ego de patre meo dixi, *me ei debuisse non modo τὸ ζῆν, sed & τὸ εὖ ζῆν*· nescivit esse dictum Alexandri Magni, de patre suo Philippo & praeceptore Aristotele: se illi τὸ ζῆν, huic τὸ εὖ ζῆν, debere. Quod si addidissem id Alexandri esse effatum; non aliquoties, hoc à me usurpatum, reprehendisset Horrearius.

Immo, inquit Critobulus, magis etiam, homo nihil non arripiens, te superbiae insimulasset, quod te cum Alexandro Magno comparares.

Pergo, inquam. Rursus è fabulâ graculus, quamquam id quidem ubique, sed hoc loco majore cum vanitate apparet. Scribit p. 15: „Narrat Porphyrius, Plotinum, lecto Longini

„ περὶ

„ περὶ ἀρχῶν libro, exclamasſe: Φιλόλογος μὲν „ ὁ Λογγῖνος, φιλόσοφος δὲ οὐδαμῶς. *Idem* „ *hoc, mutato nomine, de te pronuntiare nihil* „ *vereor* caet.": tum in nota ſubjecta paginae addit *In Vita Longini.* p. 116. Haec mihi doctrina continuo inexſpectata, & major quam pro Horrearii captu, accidebat. Atque nunc memini, eum haec de Bibliotheca Critica deſcripſiſſe, Parte I. p. 121: ubi à nobis facta exſtat epitome Disſertationis De Vita & Scriptis Longini, unde totam Ruhnkenii dictionem referre operae pretium eſt: „ Plotinus quidem, durior ad haec „ ſtudia, lecto ejus libro περὶ ἀρχῶν, teſte Por„ phyrio in ejus Vita, p. 116, exclamavit: „ Φιλόλογος μὲν ὁ Λογγῖνος, φιλόσοφος δὲ οὐδα„ μῶς. Quam vocem, velut oraculo misſam, „ repetit Proclus, eruditior ille quidem Ploti„ no, ſed eodem morbo laborans, in Platonis „ Timaeum p. 27. Sed hujus judicii iniquitas „ unde profecta ſit, non eſt difficile intelligere. „ Urebat haud dubie hominem, ſuam de Ideis „ ſententiam, quam discipuli, ut fit, laudibus „ in coelum ferrent, idoneis rationibus à Lon„ gino oppugnari. Huc adde Barbarae & ſpinis „ metaphyſicis horridae ſapientiae numquam be„ ne convenire cum elegante & diſerta. Etiam „ nunc reperiuntur, praeſertim de Scholaſtica „ Wolfii disciplina, qui paulo elegantius philo-

„ ſo-

„ fophantes *philologos* potius, quam *philofophos*
„ appellent".

Haec Ruhnkenius, inquit Philalethes, quinque annis ante editam Kantii Criticam Purae Rationis: quae fi jam tunc iftas turbas excitasfet, eam fine dubio Wolfianae fectae fociam reprehenfionis adiecisfet Ruhnkenius; nifi forte ejus auctori propter puerilis condiscipulatus neceffitudinem pepercisfet. Sed Horrearius callide egit, qui hoc Ruhnkenii de Philofophia judicium non attigit: quem profecto rurfus Nimrodum & philofophiae expertem appellasfet, atque fic laudes in eum à fe conjectas refutasfet.

Hoc extra ordinem, inquam. Nam de Graecae orationis ignorantia dicere, nunc nobis propofitum erat. Illud volebam, Horrearium quae fit nominum vis, quem Plotinus φιλόσοφον, quem φιλόλογον, dicat, non vidisfe. Hic enim φιλόσοφον non fere appellat, nifi Platonicum, aut fi quis alterius fectae focius, cum Platonica ratione confentit: φιλόλογος autem, non qui hodiernis dicitur, fed qui Veteribus, omnia doctrinae genera complectitur quatenus cognitione & hiftoria continetur, nec ftudio factitandi, quod ἐπιτήδευμα vocatur: ut λόγος commune eft nomen omnium doctrinarum, & frequenter de Philofophia & argumentationibus philofophis ufurpatur. Utinam Dii immortales faxint, ut aliquam

quam Longini similitudinem assequar! quem ego mihi semper, ut perfectum ingenii doctrinaeque exemplum, proposui, cujusque ego me quam Plotini, aut Procli, aut cujusvis novitiorum, similem esse malim.

Manifesto apparet, inquit Philalethes, Horrearium neminem illorum nosse, & de rebus, ut solet, sibi ignotis loqui. Et in Longino quidem quanta quamque accurata fuerit Philosophiae scientia, documento est, cum unicus ille servatus ejus liber De Sublimitate, tum vero perditorum librorum reliquiae.

Kantium, inquam, temere suae doctrinae nomen, ut eximium, *Criticae* addidisse, nemo dubitat non ignarus verborum & Historiae. Nam quod propterea hoc sibi nomen assumit, quia profitetur se *fines designare*, intra quos contineatur, & ultra quos pervenire nequeat, facultas ingenii humani, potius alio nomine, *finientem*, *secernentem*, *aestimatoriam*, *circumscribentem*, vel Graeco, si mallet, *ὁριστικὴν*, *ἀφοριστικὴν*, *περιγραπτικὴν*, appellare eam debebat. Hoc à me dictum Horrearius p. 22, confutare sibi videtur, citans Homeri versum Iliad. B, 362, *Κρίν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας· secerne viros per tribus, per curias:* confundens usum verborum Homericum, cum postero & communi; quasi Homeri aetate jam Critici fuissent, ac non multis

tis demum postea saeculis κρίνειν & κριτικὸς *judicandi* notione usurpari coepisset: & quasi quisquam haud ineptus in Graecis nominibus ad hodiernum usum adhibendis, potius antiquam Homericam significationem, quam communem consuetudinem, sibi sequendam putaret.

Istud vero Horrearii responsum, inquit Critobulus, me inter audiendum insigni prae caeteris stupore & petulantia advertit. Nescire Graecam verborum consuetudinem Homericam plane immutatam sequentibus deinceps aetatibus, Graecis per Literas & Philosophiam excultis! Tum, nomen Critici ex Homero interpretari velle! Et quasi Kantius hoc cogitasset, ac non potius publicum nominis honorem appetivisset! Adde etiam insolentiam hominis, in te redarguendo tibi quasi insultantis, & victoriae carmen canentis: „ Quo garritu, ecquid imperitius dici „ aut odiosius potest ? Nam quae tandem illa „ est, vel esse potest, quam crepas, verbo„ rum licentia. Laterne illa in nomine Criti„ cae? Κρίνειν igitur nonne Graecis proprie est „ *cernere*, *secernere*, *discernere?* Quo sensu & „ Homerus dixit, Κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ „ φρήτρας, 'Αγάμεμνον· ubi Scholiastes κρίνε „ explicat per διάκρινε, διαχώρησον, & Hesy„ chius κρίναι, inquit, χωρίσαι, τάξαι, &c. „ Egone itaque tantillus homunculus, tantum

„ Virum, eumque Graece perdoctum, quin fe-
„ re Graecum, Graeca docere debeo!" Hoc sane est hominis nil pensi habentis, nec verentis apud intelligentes insanire, dummodo imperitae multitudini sapere videatur. Qui adeo errorem errore cumulavit, bona fide & securus transscribens vitium typographicum Scholiastae *διαχώρησον*, quod est *transmitte*, pro vero *διαχώρισον*, *secerne*; & ostendens se ignorare duo diversa esse verba *διαχωρεῖν* & *διαχωρίζειν*, & tamen, ut ait, *te Graeca docere debet*. Illud unum vere, se *tantillum homunculum*, dixit. Tanta est conscientiae vis!

Mitte, inquam, Critobule, hominis dicta in maledicentiae documentum referre. Hoc enim si agere velimus, totus ejus libellus nobis describendus sit. Ego istam linguae procacitatem homini febricitanti, & nunc graviore accessione commoto, facile ignosco. Quod sequitur leve est, sed tamen solitae homini temeritatis & inscitiae signum. Graviter infit: „ Exstat prae-
„ clara sententia apud Xenophontem in Oecono-
„ mico, nihil esse aut pulcrius aut ad usum com-
„ modius, quam ordinem: nihil contra aut ad-
„ spectu foedius ac deformius, aut quod plu-
„ ra omnibus rebus incommoda afferat, quam
„ confusionem ac perturbationem. At vero vi-
„ de quam, hic omnia confusa sint & perturbata,

„ &

„ & ὕστερα πρῶτα —" Quo tandem tam grave exordium, aliunde, nisi me omnia fallunt, descriptum? scilicet, ut *atrum desinat in piscem mulier formosa superne.* Atqui bonus Horrearius ipse in confusionem ac perturbationem incidit, πρῶτα & πρότερα confundens. Proverbium est ὕστερον πρότερον· haec enim invicem opposita sunt: πρῶτον autem oppositum habet δεύτερον.

Ignorantiae ac temeritatis illud etiam est, quod p. 29, ponit: „ tam verum est, quod à Veteri- „ bus velut in proverbio dicitur: ἡ ἀμαθία μὲν „ θρασεῖς, ὀκνηροὺς δὲ τὸ λελογισμένον ἀπεργά- „ ζεται." Vid. Lucianus in Nigrino T. I. Ed. „ Hemsterh. p. 38." Immo *sententia* est, nec *proverbium:* nec Luciani, sed Thucydidis à Luciano citati. Deinde ad *tam verum*, quaero *quam verum?* Ignorat hac in compositione requiri *adeo*, vel *adeone verum.*

Insignem rationis metricae inscitiam mihi objicit p. 48: qui Bibliothecae Criticae Parte XII, p. 9, in Epigrammate Anthologiae Planudeae I, 44, 7, quo Demosthenicam sententiam conclusam ostendi, Πᾶς λόγος ἐστὶ μάταιος ὁ μὴ τετελεσμένος ἔργῳ. Καὶ πᾶσα πρᾶξις τὸν λόγον ἔργον ἔχει· secundi versus sententiam restitui legendo, Καὶ πᾶσα πρᾶξις, ἣ λόγον ἔργον ἔχει· i. e. *Et omnis actio, cujus effectus in verbis* sub-

subsistit: nimirum „ nescius, " ut ait Horrearius „ adeo syllabam ξις sua natura brevem vix „ ac ne vix quidem pro longa adhiberi posse: „ id quod cum rari & rarissimi res exempli „ sit, tibi *refugium* praestare nequit." Mitto jam exquisitam Latinitatem: de re dico. Ignoravit bonus magister syllabam ξις per adspirationem sequentis syllabae ἣ longam fieri, & omnino adspirationem subinde instar consonantis esse, ac positionem efficere: quod docuerunt Brunckius ad Aeschyli Prometheum 438, Euripidis Orestem 1284: Burgessius ad Dawesii Miscellanea Critica p. 415, 460, 491, 499. Et Latini hoc esse sermonis, ut litera H positionem faciat & consonantis vim habeat, notant Donatus p. 1737, 8: & Cledonius p. 1883, 9. Edit. Putschii. Vossius Art. Gramm. II, 15. Qui libri si Horreario ignoti & doctiores quam pro ejus modulo sunt; videat in puerili bibliotheca, de Graecis Struchtmeyeri Rudimenta p. 274: de Latinis Vossii Prosodiam p. 157. Sed nolo diutius in hac hominis temeritate recensenda versari.

Poteras tamen, inquit Philalethes, alia haud pauca notare: praesertim quod Graeca ubique dicta & verba inculcat, ut indoctis doctus videatur: quod si tempestive sit & ad rem accommodate, & ubi Latina lingua aptis dictis verbis.

bisque caret, habet ſane hoc negotium cum gratiam, tum excuſationem: ſin in populari ſcriptione & intempeſtive fit, incidimus in eorum ineptiam hominum, quos Cicero reprehendit Off. I, 3, qui Graeca verba inculcantes, jure optimo irrideantur: aut quos narrant noſtra & patrum memoria concionales ſacerdotes inferciendis Graecis & Hebraeis vocabulis apud plebem ſuam in admiratione fuiſſe: veluti illud Horrearii in peroratione, ἀτεχνῶς καὶ ἀδόλως, ineptum eſt: & verſus Homericus magis ad laudem tuam quam vituperationem valet. Denique quod „ J. Luzacium, τὸν μακαρίτην, propter multipli„ cem rerum maxime Graecarum cognitionem, „ optimos quosque doctiſſimosque viros veneratos eſſe" narrat; oſtendit Horrearius ſe doctiſſimos & optimos viros non noviſſe, & in Graecis rebus coecutire. Quarum quidem ipſa elementa ignoranti ei ſuadeam aliquod Rudimentorum compendium diligenter diſcere.

X X I I I.

Accede porro, inquit Critobulus, ad Latinam ſcriptionem: quamquam in hac ſibi conſuluit tua ſcripta deſcribens: indeque centonem ſuum conſuens: tamen in futuris, & ubi de ſuo quid aſſuit, ſordes & inficetiae apparent; ut verear,

ne longum & molestum tibi hoc pensum futurum sit.

Longum, inquam, & molestum; paucae enim sunt paginae sine ulcere: compositio quidem ubique laborat; ut infinitum sit eam persequi, & satis vos habere velim, si hanc labem non nisi in locis insignioribus attigero, caeterum verba dictionesque strictim notavero.

Utcumque feceris, inquit, ita nobis gratum erit; valde enim istam partem cognoscere cupimus.

Itaque, inquam, in primo statim ingressu ter offendit: ubi scribit, —„ Vixdum *quatuordecim prae-„ terlapsi erant dies* à morte filii mei — cum „ libellum tuum, qui partem *constituit* Bi-„ bliothecae Criticae ultimam, à bibliopola „ missum accepi." Primum *quatuordecim dies* genus loquendi novitium; si Gallus fuisset, dixisset *quindecim dies*: ergo est ille Belgicismus, ut hic Gallicismus: rectius, *dimidiatus mensis*. Tum *praeterlapsi:* nil frequentius hodie, nec tamen Latinum: praeterlabitur fluvius, rivus, nos praeterlabimur navigantes locum: *labi* tempus dicitur: *praeterlabi* possit dici, si nullo cum fructu nostro praeterit: rectius hoc ipsum ponitur *praeterire*, *abire*, *intercedere*: Denique *qui partem constituit Bibliothecae Cr:* immo, qui *pars est Bibliothecae ultima*, *quo pars Bibliothecae postrema continetur*:

Pag.

Pag. 2. „ *efficere* nolens ut ad praefentis — „ doloris vehementiam novus — accederet." Rectius erat hac in fententia, *facere*, *committere*.

Ibid. „ *morofi ludimagiftri.*" Inepte: hi *faevi*, *iracundi*, dicuntur.

Pag. 3. „ *ut - multa garrias, quae cum plane falfa, tum maxime etiam odiofa funt, & quae fi veritati effent confentanea — bonis viris rifum moverent, nunc vero illis omnibus bilem atque ftomachum.* Ut fenfus faltem difpiceretur, quaedam omifi eum obfcuriorem facientia. Compofitio plane barbara & ratione carens; quam ipfa, de qua dicitur, bilis turbaverit.

Pag. 4. In eodem eft genere hoc: „ *quae tibi,* „ *five nomine expreffo, five perfonam nomen-* „ *que Philalethis cujusdam ac Critobuli men-* „ *tito, de me narrare libuit.*" Deinde, quid illud *expreffo* fibi vult? Quod cogitabat, fic rectius dicendum erat: *quae tibi fub nominibus fictis, & perfonis, five veris five fimulatis, Philalethis & C. d. m. m. l.*

Pag. 5. „ maximus hic *aufus* videri poffit." Non proba vox: *aufum*, *audacia*, requiritur.

Ibid. „ *quod* igitur Latine ad te *fcribam*, minime hoc eo a me confilio fit, ac fi — tecum hac in re contendere *vellem.*" Temporum ac Modorum rationem ignorat: Latinum erat, vel, *quod* —

scribo — *velim.* Et quia hoc loco effectus cernitur, poni debebat, *ut*, pro *quod;* siquidem hoc effectum, illud caussam significat.

Ibid. „ neque in alio *forsan* terrarum loco." *Forsan* poetis relinquendum, nec in prosa oratione usurpandum.

Pag. 6. „ Latine quam Belgice ad te scribere „ malo, tum quod *ita tuo mihi exemplo prae-* „ *ivisti.*" Et Belgice dictum, & re falsum. Latine dicitur *alicui verba*, *aut verbis*, *praeire:* non item, *exemplo cui praeire.* Quod si vel maxime Latinum esset, tamen alium sensum haberet, ac vult Horrearius, hunc scilicet, *me ideo Latine scripsisse*, *ut isti exemplum*, *quod sequeretur*, *darem.* Neque enim exemplum ei dare volui, aut omnino, ut Latine scriberet: minime vero, ut tam male scriberet.

Ibid. „ in Bibliothecae tuae *prooemio* " non hoc est *prooemium*, sed *Epistola.*

Pag. 8. „ tuo tamen L. haud ingrata fuerit „ narratio, mihi certe aliisque *inter lectores* „ jucundissima." Barbarismus. Quidni *lectoribus*, *legentium?* Sic & alibi peccat.

Pag. 9. „ sapientis est — illud studium — pru- „ denter moderari, *finique graviori submittere.*" Formula ex illo philosophiae scholasticae studio, quod Horrearius profitetur.

Ibid. „ ut ipse in tuis *δευτέραις Φροντίσι post*

„ Pla-

„ Platonem *observas.*" Duo errores. Nec enim *post* Platonem, sed *secundum* Platonem, ipso auctore, hoc facio. Neque *observo*, sed *dico moneo*, *doceo.* Haec vulgo ab imperitis confunduntur.

Pag. 10. „ *hominem sui plenissimum.*" Quod, ut alia convicia, passim in me jacit, non laboro. Quod iste vult, hominem superbum & arrogantem, sibi unice placentem, se suaque mirantem, Latini non dicunt.

Ibid. „ honoris amor — *quomodo* — animum — in furorem conjicere valeat." Belgice in primis in *quomodo* ubi Latinitas vult *ut.*

Pag. 11. „ Nonne palam ipse fecisti, magno „ te irarum aestu — *incensum* & fere *extra te* „ *raptum*, animum ad scribendam illam episto- „ lam appulisse" Bella dictio Latina! quae Horreario insedit ex illo Pauli Apostoli 2 Cor. XII: 2 — 4, scribentis, *se sive in corpore*, *sive extra corpus*, *in tertium coelum abreptum fuisse.* Virgilianum illud, *irarum fluctuat aestu*, arripiens, à metaphora decidit: iratus enim *fluctuat aestu*, non *incenditur aestu.*

Ibid. Vim nominis *universus* ignorans cum larvis pugnat: quod supra vidimus, p. 29.

Ibid. „ *mox iterum:* " Immo, *mox contra.*

Ibid. „ Cujus rei — exemplo sit, quod Kan- „ tium — ut universae scientia Philosophiae ex-

 „ cel-

„ cellentem *proponas.*" Belgicismus, & ignorantia rationis Modorum, Indicativum postulantis: rectius fuerat, *laudas*, *celebras.*

Pag. 12. „ *producit* febrim quartanâ pejorem." Verbum hac notione in scholastica philosophia tritum, ut sit *facere*, *creare.* Latinis dicitur *producere natos*, i. e. procreare natos: caeterum est, in *conspectum educere*, item *provehere*, *augere.*

Pag. 13. Compositio soloeca in his verbis: *Quo igitur nisi in primis & illud referatur.*

Ibid. „ quo *quisquam.*" Vitiosum, pro *quoquis*, vel *quo quisque.*

Ibid. „ eo *quoque* se gerat modestius." ex Belgicismo additum.

Ibid. in nota. „ hoc *verbi caussa* finxit." Usurpatur in exemplo ponendo: cui hic nullus est locus.

Pag. 14. *subindicas.* Verbum nullius auctoritatis.

Pag. 15. „ Dum enim *ab una parte* tuam ad-
„ mirari debeo in scribendo elegantiam — *ab*
„ *altera parte* facere non possum quin caet." Merus est Belgicismus.

Pag. 16. „ cum quarum mulierum negotio ti-
„ bi Categoriarum negotium *honoris caussa* com-
„ parare placuit." Non intellexit, quid diceret. Nec honoris, nec contumeliae, sed perspicuitatis caussa, comparatio facta est.

Ibid.

Ibid. „ *prolixe* recenſere. Eſt haec dudum exploſa nominis & adverbii ſignificatio, qua vulgo à novitiis uſurpatur pro eo, quod dicendum eſt *fuſe*, *copioſe*, *verboſe*.

Ibid. deinceps, „ ſi cuncta *prolixe* recenſere „ vellem, *quibus te turpiter dediſti.*" Scribendum erat, *quibuscum*, vel *cum quibus te turpiter dediſti:* certe praepoſitio addi debebat, v. c. *in quibus te turpiter dediſti.* Eſt haec ſingularis dictio Terentiana Eun. II, 1, 24: quam homo confudit cum frequenti, *alicui vitio ſe dare;* itaque Ablativum pro Dativo accepit.

Ibid. „ *plurimorum*, quos in hac re commiſis-„ ti errorum, *praecipua pars*, nuperrime, (ini-„ tio nempe menſis proxime *praeterlapſi*) à quo-„ dam cenſore Belgico, harum literarum pe-„ ritiſſimo, *ſedulo* notata docteque reprehenſa „ *fuit.*' Vitioſa & ſententiae adverſans conſtructio, *plurimorum praecipua pars:* volebat, *errorum*, *quos plurimos in hac re commiſiſti*, *praecipua pars.* Tum elegans parentheſis, ornata inſuper nomine *praeterlapſi.* Porro, *ſedulo* minime cenſori honorificum; quippe magis voluntatem, quam facultatem, ſignificans. Atque his duobus verbis inſcite uſus Horrearius, tamen invitus verum dixit: illum cenſorem in me cenſendo menſem perdidiſſe, & plus voluntatis quam facultatis attuliſſe. Denique poſtremum *fuit* vitioſum

eſt

est in Temporum consequentia, quae postulat *est*.

Pag. 17. „ ne *ab una parte* actum omnino age-
„ re videar, *ab altera* locum hunc prorsus in-
„ tactum relinquam." Rursus notatum supra Belgicum idiotismum reponit.

Pag. 18. ut mecum — vobis illud — objicere *cogerer*. Barbare. Satis erat *objicerem*.

Ibid. „ statim jam *in* initio." Substituit in Corrigendis *ab*; quamquam prius non prorsus malum: & deteriora illo multa silentio praetermittimus.

Pag. 19. „ *ut cum Cicerone loquar*." Frequens Horreario Belgicismus.

Ibid. „ neque illud *protenus* ratum habemus." Adverbium hoc de spatio & loco dicitur: de tempore numquam sic, ut causa & effectus significetur.

Ibid. „ *Diversam constituant classem*." Notavimus p. 86.

Pag. 20. „ quid illi animo sibi proposuerint
„ Philosophi, quidque *praestare* fuerint *annisi*,
„ sed quid revera *praestiterint*." Neutrum verbum hoc sensu probum: de priore vel Lexica docent, id non ita dici pro *efficere*: nec *anniti* usurpatur de opera in quaerendo vero posita.

Pag. 21. „ Omnia quippe, hac in parte den-
„ fis-

„ ſiſſimis ignorantiae tenebris ſepulta atque obru-
„ ta tenebantur; unde fieri nullo modo potuit,
„ quin Philoſophi — tamquam in *illuni nocte*,
„ *ſine lumine* errantes, ſaepe offenderent —."
Illunis nox à Veteribus non niſi proprie dicitur: & in hoc loco ineptam tautologiam & gradationem praepoſteram habet. Quando enim denſiſſimae ſunt tenebrae, quibus omnia obruta & ſepulta tenentur, ſponte intelligitur nihil eſſe Lunae nec luminis. Sed haec ad univerſae orationis pravitatem pertinent.

Immo vero, inquit Philalethes, iſta ſunt haud paulo minora vitia, quae omni cernuntur in lingua: & memini me in parte adhuc à te tractata hujus libelli in plures tales locos inter legendum incidere, nunc à te praetermiſſos.

Ego enim, inquam, nil niſi Latinitatem notabam; in qua vel una tantum eſt ſordium, ut me iſtius operae taedeat; praeſertim quum adhuc tantum quartam paginarum partem confecerimus, & reliquae in eadem ſint errorum proportione & frequentia. Quare ſi placet ad aliud genus tranſeamus, ut tandem toti huic Horreararii argumento finem imponamus.

Tu vero, inquit, perge in hac orationis notatione, quae & nobis jucunda eſt, & aliis grata erit; ſi quidem hunc ſermonem quoque editurus es.

De

De editione alias videbimus. Nunc, quando ita vultis, potius vestro, quam meo, sensui obsequar.

Ibid. „ Omnia recensere infinitum *esset.*" Immo *sit.*

Pag. 25. „ à viro, *quem proponere* voluisti, „ plane abludis, illius Purae Rationis Criticam „ *considerando velut* systema quoddam Metaphy- „ sicum, novamque appellando Metaphysicam, „ in qua *igitur* cuncta *invenienda sint.*" Mere barbarismi, temere ex vernaculo sermone assumti.

Pag. 27. „ viro — tam *sui pleno.*" Supra notatum.

Ibid. „ formas illas *considerandas esse ut* no- „ tiones mere intelligibiles." Perpetuus hominis Belgicismus.

Pag. 28. „ & neque illos, neque hos *etiam.*" Plane ex vernaculo sermone assumtum.

Ibid. „ age, illa breviter lustremus, quae „ ad reprehensionem doctrinae, male à te pro- „ positae, proferre ausus *sis.*" Modorum ratio postulat *es*. Aut, retinendo Conjunctivo, dicendum erat: *age, breviter videamus, quid — proferre ausus sis.*

Pag 29. Quod scripsi „ Kantius quidem, si si- „ bi constaret & consentaneus esse vellet, ne co- „ nari quidem eam debebat" iste referens ac ponens *ne vel conari eam debebat*, soloecismum admisit.

Pag.

Pag. 30. „ fines veros Kantio eosdem dici ha„ berique *cum illis*, quos nunc vulgo objecti„ vos appellant." Sic vulgo loquuntur; quum dicendum sit, *atque illos*. In Poetis etiam fertur *idem alicui*, ex Graeco ὁ αὐτός τινι. At *idem cum aliquo* dupliciter vitiosum est; & quod *cum* additur, & quod Ablativus cum Dativo confunditur.

Ibid. „ *ne vel* cogitasse censeri possit." Frequens Horreario barbarismus: pro *ne quidem*.

Ibid. „ *De his* quippe *nulla esse potest* aut „ *cogitatio*, aut *quaestio*." Ex hodierna consuetudine assumtum est.

Ibid. „ hoc vocabulum *conceptum* subjectivi„ tatis, quam vocas, aperte *involvit*." Barbarismus in philosophorum sermone vulgari frequens, pro *notionem continet*, *vim habet*. Item tritum illis est, *hoc contradictionem involvit*. Nam *subjectivitatis* nomen, ut illorum, non ut nostrum, posuimus.

Pag. 31. „ ab intellectus categoriis — pla„ ne *dependentem*." A vulgari usu venit: metaphorica significatione poetis relinquendum.

Pag. 33. „ id quod vel pueris haec Philoso„ phiae studia *vix* adeuntibus, ut ita dicam, in „ limine jam sit cognitum." Latinum est *vix dum*, pro, *modo*, *recens*, *recentissime*, *nuper*, *nuperrime*. *Vix* simpliciter positum est *aegre*, *cum*

la-

labore. Si tempori accommodatur, addendum *dum*, *tandem*, *cum.*

Ibid. „*centies centiesque.*" Belgicismus. Latini, quum indefinitam multitudinem certo numero ſignificant, uſurpant fere, *ſexcenties*, *millies.*

Pag. 34. Quod dixi de priore Metaphyſica, eam non improbandam eſſe, quamvis *pleraeque ejus partes firmitate atque evidentia ſcientiae careant:* multum exagitat, non intelligens vim nominis *ſcientiae*, ſummam evidentiam ac firmitatem, quam mathematicam evidentiam vulgo dicunt, continere.

Pag. 35. „ Cave tamen putes me eum eſſe, „ qui aut te — à vetere veſtra Metaphyſica „ avellere *cuperet.*" Ignorantia Conſecutionis Temporum & Perſonarum, quae requirit *cupiam.*

Pag. 36. Non intellexit vim ipſius verbi *intelligere* à me poſiti, qua dicitur, *aliquid intelligi non poſſe*, pro *cogitari non poſſe*, *repugnare.*

„ *Vel an* & hoc tibi abſurdum eſſe ſibique „ ipſum repugnare videtur." Pulcra Latinitas! & ex mero Belgicismo aſſumta.

Ibid. „ ſuper quos *iterum* poſitae ſint duae cellae." Rem ex meo libello repoſuit: de ſuo Belgicismum addidit.

Ibid. „ argumento eſt, te *ne vel* prima „ rei, quam impugnas, elementa cognita habe-

„ re."

„ re." Debebat scribere *ne quidem.* Malim illud *vel* saepe ludit bonum Horrearium.

Pag. 38. „ difficile est *satyram* non scribere." Immo *satiram*; hoc enim illud Carminis genus est, in quo Latini, Lucilius, Horatius, Persius, Juvenalis, inclaruerunt. At *satyra* nihili est: ortum nomen per imperitiam librariorum, de satyrico dramate cogitantium.

Ibid. „ Sed ejus blanditiis atque illecebris „ meam equidem impediri nolo disputandi se„ veritatem." Cujusnam blanditiis? Satirae, an ignorantiae & impudentiae, quas proxime in me, ut solet, conjecerat? Satirae, credo. Hoc primum obscure & inepte dictum; & dubium utrum Horrearius, an alius, satiram scriberet: utrum satira Horreario, an Horrearius per satiram aliis, blandiens significetur. Deinde in has turbas bonum hominem induxerunt ipsae quoque illecebrae loci Ciceroniani De Fin. III, 1: *Quare illam quidem (voluptatem) dimittamus, & suis se finibus tenere jubeamus, ne blanditiis ejus illecebrisque impediatur disputandi severitas.* Hunc locum è Lexico nactus, facere non poterat, quin eum, quamvis absurde, suo centoni assueret.

Ibid. „ hoc male *reprehendis*, istas Kantii Ca„ tegorias non justum habere ortum." At ego non *reprehendi*, sed *argui*, *objeci*, *dixi*, *statui*.

Horrearius, quamvis nil non reprehendens, tamen verbi vim ignorat.

Pag. 39. „ *quid* Kantius *per categorias intel-* „ *ligat.*" Vulgaris barbarismus: pro, *quas K. categorias intelligat: quid categorias esse velit: quam iis vim tribuat: qualem earum naturam informet: quid earum nomine significet:* & quidvis aliud potius dicendum. Usus hic verbi *intelligere* apparet in multis locis Veterum, maxime Ciceronis, v. c. Paradox. VI, 1: *Quem enim intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus.*

Ibid. „ ut enim tua hic tibi verba *reddam.*" Saepe ita scribit, quamvis barbare: tali, quem vult, sensu, dicendum *reponam*, *referam.*

Pag. 41. „ ut appareat, *quanto jure* — va- „ pulaveris." Tractum ex patrio sermone: Latinum est, *quam juste*, *summo jure.*

Ibid. „ Dictis equidem multo plura addere „ *possem*, sed — nolo." Vitium in ratione Temporum, quae postulat *possim.*

Ibid. *hominem tam sui plenum.* Hunc barbarismum plane in deliciis habet.

Pag. 42. „ primam meorum Philosophiae Kan- „ tianae elementorum partem *Belgice* in lucem „ *exire jussi.*" Quid sibi velit hoc *Belgice exire*, nemo intelligat, nisi fortasse Horrearius, qui omnia intelligere se fatetur. Putet quis, pro-

prium

prium quemdam Belgis habitum incessumque exeundi, dici. Tum *jussi*, imperium redolet, non Latinitatem. Dixisset rectius, *Belgice scripta edidi*, *in lucem exierunt.*

Pag. 43. Rursus ponit „ homini tam *sui pleno.*" Ut ipse hoc barbarismo plenus videatur.

Ibid. „ Quis quaeso est, qui tibi, *persuaserit.*" Dic, sodes, rectius, *persuasit.*

Ibid. „ *cum Comico* vix facere possum, quin „ *exclamem*, ô Jupiter — caet." Frequens Horreario dictio ex vulgari usu suscepta, in auctoris antiqui sententia usurpanda, apponenda, citanda, sibi accommodanda; veluti supra p. 19: „ non enim, *ut cum Cicerone loquar*, auctoritatis, sed rationis momenta quaerimus." Est quidem hoc in Ciceronis ratione, *cum aliquo aliquid admirari* v. c. Senect. 2. & simili Tusc. I, 17: *errare me hercule malo cum Platone, quam cum istis vera sentire:* sed citandi formula ac frequentia hodiernae est sordis.

Ibid. Ostendere volens Kantianae Philosophiae studium adhuc in Germania vigere, sibi non intellecta Ciceronis verba apponit De Nat. Deor. I, 5. „ vide, nos non desertarum relictarumque „ rerum patrocinium suscipere: neque hominum „ interitu sententias quoque occidere." Hoc ipsi adversum esse, poterat intelligere, si proxima legisset — *haec philosophia usque ad no-*

ſtram viguit aetatem: quam nunc propemodum orbam eſſe in ipſa Graecia intelligo. Sententia *occidere* dicitur, quaſi vera eſſe deſinat, ut homo mortuus vivere deſiit: quod verae ſententiae accidere nequit. Kantianam autem rationem nunc apud Germanos, ut Academicam tunc apud Graecos, propemodum orbam eſſe, Horrearius negat.

Pag. 44. „ *recentiorem Philoſophiam.*" Dixit contra Latinitatis rationem, pro Kantiana. Nam ſecundum Latinitatis rationem recentior aetas dicitur, quae à media & antiqua diſtinguitur.

P. 45. „ quae *editurum promiſiſti* ſcripta perficias." Immo; *quae te editurum promiſisti.*

Ibid. „ *Forſan.*" In proſa oratione vitandum.

Pag. 46: „ Ipſae illae, quas profiteris, li„ terae, hanc à te animi moderationem *exigere* „ quaſi atque *efflagitare* videntur." Error ex ignorantia verborum profectus. Utrumque ſignificat, quod ille certe noluit, rem jam effectam esse: eſtque haec vis praepoſitionis *ex.* Dixiſſet, quod cogitabat, *poſtulare* atque *flagitare.*

Ibid. „ *iterumque* te plorare jubeant." Pravus eſt amor, quo in delicias ſibi adſcivit hoc *iterum:* cui hic locus non eſt, non praecedente *ſemel*, aut *primum.*

P. 47: „ duplex oritur vitiorum genus, quod

„ quod in scriptis tuis *regnare* video". Lepidum regnum; sed ineptum in Latina prosa. Dicendum erat, *quo scripta tua laborare*, *affecta esse*: & alio quocumque modo potius, quam isto.

P. 48. De metro judicat, ut puer scholasticus ludimagistri dicta venerans. Quod legitur p. 50, *At non ingenio nomen quaesitum ab aevo Excidet*: metri violationem clamat. Nonne in eodem genere est ejusdem Propertii II, 23, 101: *Haec eadem ante* illam *impune & Lesbia fecit*: elisio negligitur: ut in Enniano Annal. X, p. 91: *Insignita fere tum millia* militum *octo*: ubi videatur nota Vossii Aristarch. II, 14. & Prosodia p. 131. Alia Schraderus corrigere tentat, Emend. p. 136 seq.

P. 49: „ *id quod* cum rari & rarissimi res „ exempli sit, tibi *refugium* praestare nequit". Mere sordes dictionis. Est alibi suus locus formulae *id quod*: non hic, sequente *cum*: dicendum erat *idque*, vel simpliciter *quod*. Deinde *refugium*, quonam? utrum in turrim, an in asylum? sunt enim refugia loci, quo confugimus.

Ibid. *loco gratiae amico cuidam tuo habendae*, *haec* — *adjiciebas*. Constructio soloeca & barbara.

Ibid. „ In vita Ruhnkenii *& quidem* in Scholiis". Quo illud *& quidem*? barbarae est consuetudinis. Latine usurpatur in δεινώσει, quum

 gra-

ſtram viguit aetatem: quam nunc propemodum orbam eſſe in ipſa Graecia intelligo. Sententia *occidere* dicitur, quaſi vera eſſe deſinat, ut homo mortuus vivere deſiit: quod verae ſententiae accidere nequit. Kantianam autem rationem nunc apud Germanos, ut Academicam tunc apud Graecos, propemodum orbam eſſe, Horrearius negat.

Pag. 44. „ *recentiorem Philoſophiam.*" Dixit contra Latinitatis rationem, pro Kantiana. Nam ſecundum Latinitatis rationem recentior aetas dicitur, quae à media & antiqua diſtinguitur.

P. 45. „ quae *editurum promiſiſti* ſcripta perficias." Immo; *quae te editurum promiſisti.*

Ibid. „ *Forſan.*" In proſa oratione vitandum.

Pag. 46: „ Ipſae illae, quas profiteris, li- „ terae hanc à te animi moderationem *exigere* „ quaſi atque *efflagitare* videntur." Error ex ignorantia verborum profectus. Utrumque ſignificat, quod ille certe noluit, rem jam effectam esſe: eſtque haec vis praepoſitionis *ex.* Dixiſſet, quod cogitabat, *poſtulare* atque *flagitare.*

Ibid. „ *iterumque* te plorare jubeant." Pravus eſt amor, quo in delicias ſibi adſcivit hoc *iterum:* cui hic locus non eſt, non praecedente *ſemel*, aut *primum.*

P. 47: „ duplex oritur vitiorum genus, quod

„ quod in fcriptis tuis *regnare* video". Lepidum regnum; fed ineptum in Latina profa. Dicendum erat, *quo fcripta tua laborare*, *affecta effe*: & alio quocumque modo potius, quam ifto.

P. 48. De metro judicat, ut puer fcholafticus ludimagiftri dicta venerans. Quod legitur p. 50, *At non ingenio nomen quaefitum ab aevo Excidet*: metri violationem clamat. Nonne in eodem genere eft ejusdem Propertii II, 23, 101: *Haec eadem ante* illam *impune & Lesbia fecit*: elifio negligitur: ut in Enniano Annal. X, p. 91: *Infignita fere tum millia* militum *octo*: ubi videatur nota Voffii Ariftarch. II, 14. & Profodia p. 131. Alia Schraderus corrigere tentat, Emend. p. 136 feq.

P. 49: „ *id quod* cum rari & rariffimi res „ exempli fit, tibi *refugium* praeftare nequit". Mere fordes dictionis. Eft alibi fuus locus formulae *id quod*: non hic, fequente *cum*: dicendum erat *idque*, vel fimpliciter *quod*. Deinde *refugium*, quonam? utrum in turrim, an in afylum? funt enim refugia loci, quo confugimus.

Ibid. *loco gratiae amico cuidam tuo habendae*, *haec — adjiciebas*. Conftructio foloeca & barbara.

Ibid. „ In vita Ruhnkenii *& quidem* in Scholiis". Quo illud *& quidem*? barbariae eft confuetudinis. Latine ufurpatur in δεινώσει, quum

gravitatem aut addere rei, aut augere volumus. An vero gravius erat hoc in Scholiis, quam in ipso libro poni? Sic memini me nonnullos audire, qui locos sacrorum librorum citarent, v. c. *capite secundo, & quidem versu tertio.* Quod an recte fiat vulgaribus in linguis, non judico: Latinae quidem, aut Graecae, rationis esse nego.

P. 50. „ neque enim properare me atque *ave-* „ *re* diffiteor". Huic parenthesi nec sententia nec oratio constat. Fortasse properatio scribentis mentem turbaverit.

P. 50: „ Illam, tui partem libelli *intelligo*, „ in qua de me — nonnulla in chartas conjecisti". Merus, ut ubique, Belgicismus: scribendum erat *dico*, *significo*, *volo.* Neque enim intellexit, vel hanc, vel alium quamvis, mei libelli partem.

Ibid. „ Quod vero continuo addis, anno hoc „ factum esse primo, postquam cathedram apud „ Remonstrantes *conscenderas*, *mendacium* illud „ est". Ignosco homini urbanitatem nominis *mendacii:* grammaticam saltem verborum proprietatem quaero: *errorem* debebat dicere, si modo tertius, nec primus annus fuit, de quo nunc non contendo; certe leve est, nec ad caussam pertinet. Tum, *conscendere cathedram?* quasi illa cathedra fuisset equus, aut navis, aut hujusmodi quid. Concionalis Belgicismus.

P. 52:

Pag. 52: „ me — Kantii praecepta — *magis* „ *ulteriusque* divulgasse". Longa periodus duorum & viginti versuum, plane Kantiana, & parenthesibus constipata: in qua, ut omnia, sic postrema in primis ad verbum Belgica sunt.

Ibid. „ *Amicos possidentem.*" Belgicismus: possidemus res, non personas; nisi si plane nostro dominio subjectae sint.

Pag. 53: „ Quae si forte vera sit suspicio, *eccur* ista amicorum verba non *plene* dedisti". Hoc quomodo cum antecedenti cohaereat, prava compositio obscuravit. Tum, quid illud est *eccur*? inauditum vocabulum & novum. Porro nec *plene* hoc sensu probum est: qui desiderat, *tota*, *omnia*, aut simile quid.

Ibid. „ Quae de me scripsisti falsa, duplicis „ sunt generis. Alia *nimirum* sunt ejusmodi, ut „ non adeo famae nocere videantur, sed *ad ea* „ *potius referenda*, *quae Graecis ἀδιάφορα dicuntur*: alia vero *turpitudinis infamiaeque notam mihi* inurunt: *bona*que adeo *existimatione*, qua nihil homini carius esse debet, omnino me *spoliant*". Hic rursus inscitia Latinitatis homini obfuit. Primo, quorsum illud *nimirum?* rectius & elegantius omisisset. Deinde, ridicula est illa circumlocutio *rerum indifferentium*, quas Cicero Fin. III, 16, primum hoc nomine Latino appellans, Graecum nomen, perspi-

cultatis caussa addidit: nunc non amplius opus est; nisi si quis perperam Graecae doctrinae speciem affectet: quod iste nunc fecit loco Ciceronis sibi, purpurei panni instar, assuendo: veluti si quis dicat, *nunc sol lucet, quem Graeci* ἥλιον *vocant.* Tum vero haudquaquam *turpitudine* & *infamia* eum notavi, sed *stultitia & delirio*: quibus si quis liberetur, nil impedit quominus bona existimatione fruatur. Denique, quod dicit *me spoliant*, plus fatetur, quam ipse fateri voluit. Neque enim eum bona existimatione, tamquam veste, exui: hoc enim est *spoliare*: sed admonui, ut amissam maledicentiâ existimationem," bene dicendo & pace colendâ recuperaret.

Ibid. „ Wynperssium senem, *coelitibus* jam „ *adscriptum.*" Est haec κακοζηλία, id est, inepta ornatûs affectatio: & ubi, pro simplici *mori*, aliquid gravius grandiusque quaeritur, multa se offerunt nomina: in his etiam *coelum, coelestes, coelites.* Hoc autem loco praestabat Horatianam auctoris ipsius nomine dictionem apponere, *adscriptum quietis ordinibus deorum*, vel *coelitum*, quam effictam hinc dictionem, ut prosam, usurpare.

Pag. 54. „ Horreum meum criticum exta„ buisse, legentiumque numerum *identidem* fuisse minutum". Mea verba referens addit, *identidem*: quod in iis nec est, nec locum habet: deinde

ὕστερον πρότερον, ordinem turbat. Nam quia numerus legentium minuebatur, ideo Horreum extabescebat: & sic scripseram.

Ibid. „ Wynperssium — *aeque minus* ac Mun- „ tinghium in scenam produxi." Frequens barbarismus: quem in Corrigendis mutavit in rectius, *non magis:* admonitus scilicet ab homine, quem ego sic saepe peccantem saepe admonui.

Pag. 56. „ Scholarum igitur Graecarum *ra-* „ *tione* tuus nec auditor unquam fui, nec disci- „ pulus". Est item ex vulgari usu: poterat prorsus omitti: aut scribi, *in Gr. scholis*: aut, *quod attinet ad: quod ad.*

Ibid: „ fui — Valckenarii — quod vir incom- „ parabilis sua ipse manu testatus est, discipulus *non omnino improbabilis.*" Periodus, ut pleraeque, contorta & ambigua. Si ergo id dicit, quod videtur dicere, Valckenarium sibi scriptum testimonium, in eoque nomen *discipuli non omnino improbabilis* tribuisse; & si hoc ipse sibi laudi ducit, profecto Latina verba non intelligit. Quid enim est *probabilis?* nimirum *mediocris*, aut paulo plus. Ergo *improbabilis*, contrarium illius: *non improbabilis*, igitur est mediocritati propinquus, sive paulo supra, sive infra eam. Videat jam, quantum sibi laudis relinquatur.

Pag. 57. „ utriusque orationis meae Latinita-

„ tem a fcriptore cujusdam ephemeridis Belgicae „ fuiffe reprehenfam, meque per hunc hominem „ (ah me miferum! *prope* enim abfuit *quin* „ crura dorfumque in ifthoc cafu fregerim!) ab „ hoc gradu dejectum, poftea ad Belgice fcri- „ bendum me recepiffe". Mitto facetiam eleganti parenthefi inclufam, é forenfi fcurrarum taberna fumtam. Latinitatem quaero, quae *quin* neganti particulae, non ajenti, fubjicit: veluti, rectum erat, *non multum aberat quin*, *parum aberat quin*: nam adverbium *parum* valet *non fatis:* at *prope* eft ajens, & requirit fequens *ut:* v. c. *prope abfuit*, *ut crura fregerim.* Mirum fane eft acumen philofophi, qui negantem conftructionem ab ajente diftinguere nequeat.

Pag. 58. „ dialogus — à me confcriptus, „ meoque horreo *infertus*". Item nomen hoc fenfu tritum in imperitorum confuetudine: pro *additus horreo*; aut *editus in horreo.*

Ibid: „ ne fcilicet Lyndenum *in anguftias* „ *adducat.*" Et hoc hominis eft Latine dicere nefcientis, quod Belgice cogitat. Vulgo dicunt *compromittere aliquem cum aliquo:* quod cogitans ille & Latine dicere volens à proprietate & ufu Latinitatis aberravit. Dicendum, *aliquem fuis cum alio litibus implicare*, *cum alio in controverfiam conjicere:* item, fi forte, *aliquem cum alio collidere*, *committere:* & aliis etiam modis:

qui,

qui, ut omnis in ſcribendo verborum delectus, ad uſum, rationem, argumentum, accommodandus eſt.

Pag. 59: „ ut *nihil non* comminiſci *verea-* „ *tur*, quo me exagitare injuriisque *provocare poſſit*." Homo dialectici acuminis ſe negandi particulis ita impedivit, ut contrarium ejus diceret, quod volebat dicere, *me non veritum eſſe omnia comminiſci*. Hanc autem negantem figuram ſi quaerebat, *non* iterare & ſic ſcribere debebat, *ut non vereatur nihil non comminiſci*; nam *nihil non* Latinis eſt *omnia*. Nunc igitur dicit *me veritum eſſe quidquam comminiſci*. Ponit *vereatur* pro *audeat*: quae eadem eſſe putat. Tum, *provocare* eſt alienum ab argumento: volebat *vexare*, *inſectari*: nec *provocavi* eum: nec eo conſilio eum reprehendi, ut eum laceſſerem, & ad reſpondendum provocarem. Denique, illud *poſſit*, & omnino frequens uſus verbi *poſſe*, ut alibi, ſic hoc loco, *provocare poſſit*, pro *provocet*, eſt hominum non Latinorum, ſed ſemilatinorum.

Ibid: „ quod me valde *urit*, juſtaque ani- „ mum indignatione complet". Totum Belgice dictum: ſed *urit* etiam maledicum in ipſum. Adeo in naturam Horeario abiit conſuetudo, ut ſibi ipſe maledicat. *Urere* metaphorice dicitur *amor*, *invidia*, aut alius quis malus animi affect-

fectus. Amori hic non eſt locus: ergo invidiae, aut alii pravo animi vel motui vel morbo; quo ſe incenſum Horearius ingenue fatetur.

Ibid. „ quod perhibere auſis, me ſenem „ noſtrum Meerſchium *dulci* demulſiſſe *obſe-* „ *quio.* " Rurſus ignorantiam Latini ſermonis prodit, per quam aliquot deinceps paginas indignatur ac debacchatur, quod ſe *adulationis* inſimulaverim : quae tragoediae ex parum intellecto nomine *obſequii* ortae ſunt, quod ille perperam putat idem eſſe atque *adulationem:* poteſt enim illud cum hac eſſe conjunctum, poteſt etiam abeſſe. Deinde *dulci* ego non ſcripſi: ipſe de ſuo addidit.

Tum Philalethes ridens, Hoc vero, inquit, feſtivum eſt, quod, quam nemo ei tribuit, ipſe ſibi dulcedinem aſſumit; qui libere loquentis, & oris duri ad mordendum parati ſpeciem conſectetur, & *obſequium tam magnum eſſe flagitium* clamet quam *homicidam eſſe, patriam auro vendidiſſe, virgines ſtupraſſe, fana depeculari, aut aliud quodpiam facinus horrendum patraſſe.* Eo igitur magis eum obſequii, quamvis medium, nec in malam partem à me adhibitum nomen pupugit. Nam Meerſchio homini tolerantiam, quam dicunt, indulgentiam erga diſſentientes in religione divina, ſic factitanti ut erga intolerantes ipſe intolerans eſſet, ultro eum commendabat cauſſa

Bon-

Bonnetiana. Accedebat vanitas Horrearii & *gloriola* nominis *sacerdotalis* cum nomine *professorio* commutandi: quo adhuc gloriatur, quamvis simulans se cathedras omnes contemnere.

Pag. 60. „ Sed *ecquis* iste est, qui *narraverit?*" Ignoravit rationem Interrogationis ac Temporum, quae desiderat, *Sed quis iste est, qui narravit?*

Pag. 61. „ agrestes — ut quidquid pinguium „ est literarum in *culina* potius, quam in scholis, „ didicisse viderentur." Judicii lapsus. Quid agrestibus cum *culina:* quae est urbis & luxuriei. Dixisset potius, *inter aratores & pastores*, aut simile.

Pag. 61. „ si veritatis *ingenuitatisque* minus „ amans — essem." Vim nominis non intellexit, quae posita est in probitate morum cum verecundia liberali & modesto veri dicendi studio conjuncta.

Mirum, inquit Critobulus, ut homo febricitet: qui quum toto in libello impudentiae & maledicentiae indulgeat, se *ingenuitatis* studiosum profiteatur. Est haec absoluta sui ignoratio, aut Latinitatis inscitia.

Pag. 62. „ *falsitas* alienat ab iis, in quibus *habitat*, aliorum animos, omniumque sibi bonorum odia merito *conflat*." Nemo Latine vel mediocriter doctus hoc dixerit. Nam *odium* v. c.

aut

aut *invidiam*, *alteri conflare* dicitur, non *fibi ipfi*; fignificat enim ftudium & operam, & hoc fibi propofitum agere: rectius eft, *contrahere fibi odium*, *incidere in odium.* Nemo enim, qui committit, quo eum alii odio habeant, *fibi conflat odium:* non illud agit, vult, fpectat, ut odio habeatur: fed imprudens in odium incidit, contrahit odium. *Falfitas* autem hoc fenfu non eft Latinum, & perperam in Lexicis fertur ex vitiofo loco Ciceronis Or. Pro Cluentio, 21. *Habitat* autem animus in aliqua virtute aut pravitate: non haec in illo: veluti apud Ciceronem, *habitans in his curis animus.*

Pag. 63. „ eum quafi maleficum aliquod & „ noxium animal refugiat — *concurfumque* ejus „ fibi dirnm, tetrum, ominofumque putet." Hoc aliunde defcripfiffe videtur: & Latinitatem migravit in nomine *concurfum*, pro quo *occurfum* ponere eum oportebat.

Ibid. „ ea quae fcripfifti — ex finceri animi fententia *profluxerint.*" Hoc quidem fenfu Belgicismus eft.

Ibid. „ Quam *affertionem* rationibus *fpectatu haud indignis* confirmant." Ex fcholaftica forde fufceptum nomen *affertio:* quod Ciceroni intulerunt indocti librarii pro *affenfione*, ut dudum notarunt doctiffimi editores. Et apud Arnobium, apud quem folum occurrit, fignificat

de-

demonſtrationem. At neutra ſignificatio huic loco apta eſt. Deinde *ſpectatu dignum*, ineptum & alienum ab hoc loco. Rectius erat: *quod judicium*, (aut ſimpliciter, *quod*) *rationibus haud contemnendis affirmant.*

Pag. 63. „ in qua clariſſima fulgent lumina „ *ſtellaeque ſplendent primae magnitudinis.*" Bella rhetorica, nec tamen Latina: ad verbum è Belgico ſermone vertit.

Ibid. „ *verborum his jactationem excutiunt.*" Aut ſenſum non habet, aut contrarium ejus quem vult: *Veteranos Kantianis verborum jactationem excutere.* Sed in Lexico videns locum Ciceronis Or. Pro Sulla, 8: *qui ſi attulerint nervos & induſtriam, mihi crede, excutient tibi iſtam verborum jactationem:* cupide arripuit, non intelligens, eum contra ſe valere.

Pag. 65. „ operam tibi ſuam, ſi forte deſide„ res, *pro virili* praeſtabunt." Bis peccat: primum, quod Latinitas poſtulat *pro virili parte*: deinde, quod ſignificatio hujus formulae abhorret à ſenſu praeſentis loci: hic enim de duobus hominibus eſt: illa vero non niſi in multis uſurpatur: veluti, ſi toti civitati bene fit, etiam cuique civi pro ſua parte, qua civis eſt, pariter bene fit: &, ſi ſalus civitatis tuenda eſt, hujus officii in ſingulos cives certa pars, quae *virilis pars* dicitur, cadit. Convenit cum Graeco κατ' ἄνδρα.

Pag.

Pag. 66. „ ut, hac etiam in re, feré *cum Agamemnone* apud Euripidem dicam: caet." Affectatio granditatis in apponenda fententia auctoris: quid enim Horreario cum rege Agamemnone? De ufu ifto praepofitionis *cum* minus Latino, fupra diximus. Stilus concionalis.

Pag. 67. „ quo cum — confabulatus *fui*." Immo *fum*, quod Temporum ratio poftulat. Vulgaris eft in his confundendis error.

Ibid. „ *apertis verbis*." Rectius, *perfpicuis*, *difertis*.

Ibid. „ fignificaverim — tantum me mihi non „ fumere, tantum *quoque* eruditionis, doctrinae, „ ingenii, acuminis haudquaquam *poffidere*." Mirus *poffidendi* amator! Et nefcit ufum particularum ajentium & negantium, qui *nec tantum*, omiffo *haudquaquam*, pro *tantum quoque*, ponere debebat. Tum inficeta ironia hominis omnibus infultantis, & fupra omnes fapere fe putantis.

Ibid. „ locum fuum *coram τοῖς ἔξω* digniffime „ tueatur." Nefcit, non nifi de praefentibus valere *coram*. Deinde ineptum eft Graeca ponere ubi Latina adfunt. Sed formula *οἱ ἔξω* ei infidebat è fcholaftica inftitutione, qua in Novo Teftamento dicuntur hi, quos vulgo vocant *infideles*, *gentiles*. His ergo fe probari vult? Quin diceret, *exterorum judicio*.

Pag.

Pag. 68. „ Tantum profecto abest ut in Aca-„ demias me non acciri aegre *tulissem.*" Immo Latinitas vult *tulerim.*

Ibid. „ si ejusmodi quid oblatum umquam fuis-„ set, nulla id ratione accepissem." Imprudens dicit, quod non vult: *se oblatum munus accepturum quidem fuisse*, *sed sine ratione.* Volebat, certe debebat, dicere — *fuisset* — *nulla mihi ratione persuaderi potuisset*, *ut acciperem.*

Ibid. Quod *auditorem* eumdem quem *discipulum* à veteribus dici contendit, plane ignorat rationem synonymorum. Omnes discipuli sunt auditores: non item contra, auditores omnes discipuli. Discrimen cernitur non solum in scholis, sed etiam in orationibus. Auditorum tamquam generis duae sunt formae: altera eorum, qui discunt, & proprie dicuntur *discipuli*: altera eorum, qui non discunt, nec proprio, sed communi generis nomine *auditores* appellantur. Et is, qui discit, item subinde auditor dicitur nomine generis. Neque idcirco illae formae & nomina non distinguenda sunt. Veluti homines sunt vel viri vel foeminae, & hae formae ut invicem, sic à genere distinguuntur. Itaque recte dici potest, *non vir*, *sed homo fuit:* & Cicero utrumque saepe de uno eodemque homine dixit: quod notavimus Bibl. Crit. P. VIII, 80. & XII, 63.

P. 69. „ *Vel an* alios reprehendere, praeter te „ ipsum nemini licere putas." Frequens Horreario usus, Belgice bellus, Latine barbarus. Rectius dixisset, *An vero?*

Ibid. *Subindicas.* Verbi barbarismum supra notavimus.

Pag. 71. Mea reponit verba ex Bibl. Crit. P. IV, p. 45: „ postquam dixeras: *minimam* „ *sive in laudando sive in reprehendendo, negli-* „ *gentiam, quam in aliis forte hominibus igno-* „ *scendam, minime tamen ferendam in iis esse,* „ *qui se de libris ad eruditam civitatem rela-* „ *turos professi* sunt, ita pergis: Nos hunc scru- „ pulum caet." Uno in verbo *sunt* duplicem admisit soloecismum. Ego scripseram constructione absoluta: *est haec negligentia ignoscenda in aliis hominibus, sed negligentia tamen, neque ferenda in iis, qui se de libris ad eruditam civitatem relaturos professi sint.* Jam sic Latinitas requirebat Conjunctivum: quem multo etiam magis requirit in constructione suspensa ab Infinitivo, in quam hic meam dictionem vertit.

Ibid. „ Proba igitur, vel minimam eorum, „ quae de me narrasti, partem veritati esse con- „ sentaneam, & ne nunc alia *requiram* – pro- „ fer exempla, quibus pateat me maledictis te „ in horreo meo *lacerasse*, patientiae tuae insul-

„ tavisse, *dicteria* in te *evomuisse.*" Primum dicit contrarium sibi ipse, qui p. 51, fassus erat me quaedam de se vera narrasse. Caetera non dixi, sed ipse quasi à me dicta comminiscitur; *patientiae eum meae insultasse*, pervertit verba Philalethis; universè *nostrae patientiae*, eos dicentis, quibus maledixit, omnes, atque etiam lectores, patienter ferentes. Atque ego non nisi obiter tango quae falsò dixit; sed Latinitatis vitia noto. Et hoc loco *requiram* Belgicismo dicit pro *quaeram*, *postulem.* Tum vim *lacerandi* ignoravit; nec enim *laceravit me:* quod de eo dicitur, qui effecit, & habet lacerandi facultatem & auctoritatem: quam ille nullam habet: pro *lacerasse* debebat scribere *lacerare conatum esse*, aut *lacessivisse*: quod per ignorantiam cum *lacerasse* ipse confudisse videtur. Denique *dicteria evomere* plane incongruens est: *dicteria* sunt acute dicta, sales, facetiae, nec *evomuntur*, sed *jaciuntur*, *figuntur*, *emittuntur*, *adsperguntur.* Et vero *evomere* & ipsum in vitio ponitur, & in rebus vitiosis dicitur: veluti *evomere maledicta*, *convicia*, *virus*, *fel*, *sordes*, *faeces.* Ergo *evomere dicteria* tam absurde dicitur, quam dicatur *evomere egregia dicta.*

Ridiculum prorsus, inquit Critobulus: huc accedit, quod homo se ipse imprudens aperit, atque ostendit suos sales non nisi maledicta &

fordes esse, quas evomat. Sed quaeso caetera.

Pag. 72. „ reprehensio — nimiam laudem *secum conjunctam* haberet." Quid *secum conjunctam:* verborum moles inanium.

Ibid. „ fidem *expresse* datam violasti." Cogitavit verbum Belgicum. At Latinum hoc sensu metaphorice dicitur de *exemplis* accurate redditis. Dicendum erat *diserte*, *plane*.

Pag. 73. „ Bella profecto esset ironia, si joca„ remur: cum vero asseveramus, vide quam vi„ lis sit quamque odiosa." Quum nullus hic sit locus ironiae, mirabar unde ista homini accidisset: nunc video eum ex Cicerone haec descripsisse in Bruto 85: *Bella ironia, si jocaremur: sin asseveramus, vide ne religio nobis tam adhibenda sit, quam si testimonium dicamus.* Hoccine est Latine scribere? Veterum dicta surripere, alieno loco inculcare, &, si quid ipsi addimus, deteriora facere. Veluti hic, & compositio inficeta est: & nomina *vilis*, *odiosus*, hoc usu sensuque è Belgicismo venerunt: & passim ita loquitur Horrearius, perperam quidem. *Vile* dicitur, quod nullo in pretio est; contemtum, abjectum, sordidum: *odiosum* autem est odio dignum, quod nos ad sui odium inducit, movet, minime vile & contemnendum. Sunt fere disjuncta, quae conjungi nequeant.

Ibid.

Ibid. „ *bonoque mihi exemplo praeire debuis-* „ *ses.*" Supra notatus, & frequens homini, Belgicismus.

Pag. 74. „ te — ad illum magnitudinis venuſtatisque ſenſum hucusque nondum *adſcendisſe*, quo literati, niſi qui *ſimul boni ſint animoque puri*, incenſos ſe inflammatosque *ſentire* plane non poſſunt." In hanc ſententiam diſſerui in Oratione quadam, & in Vita Ruhnkenii, unde ſpoliavit, ſed inficete contexuit Horrearius. Primum *adſcendere* ineptum eſt, niſi adſit *altitudinis* aut *ſublimitatis* nomen: potius convenit huic notioni *attollere ſe*, *erigi;* quod magis etiam in Graecis ſentitur, in quibus ridiculum ſit dicere ἀναβαίνειν πρὸς ὕψος διανοίας: in quo ponenda ſunt διαίρεσθαι, ἐξαίρεσθαι, & ſimilia. Tum caetera claudicant: dixiſſet *niſi qui animis boni & à vitiorum contagione puri ſint.* Denique ultimum prorſus eſt abſurdum, *incenſos ſe inflammatosque ſentire plane non poſſunt;* quaſi vero iſti pravi & impuri literati incenderentur quidem & inflammarentur illo magnitudinis ſenſu, nec tamen ſentirent ſe incendi & inflammari.

Pag. 75. „ quid *referam* hic quae ante à te „ facta ſunt? *vereor* enim ne Lectoris patientia „ abuti *viderer*," Atqui Temporum ratio deſiderat *videar.*

Pag. 76. „ Sed non est profecto cur è prae-„ terito tempore argumenta conquiram, cum „ praesens eorum abunde *offert*, illataque mihi „ à te injuria satis superque *docet*." Modorum ratio, & vis particulae caussalis *cum*, & ipsa constructio, requirunt Conjunctivos *offerat*, *doceat*.

Pag. 77. „ ultionem meditatus *vilissimam*." Modo notavimus.

Ibid. hominem — reddunt *sui plenum*. Passim occurrit proprius homini barbarismus.

Ibid. „ *Vel an* exiguo potius illorum nume-„ ro te eximemus, qui literarum vim — recte „ *perceperint?*" Rursus apponit nobis dilectum suum Belgicismum *Vel an*. Tum in Modorum ratione labitur, pro Indicativo dans Conjunctivum.

Ibid. „ Non enim omnibus hoc lumen lite-„ ratis *apparet*." Dictio ex eo genere, quod biblicum vocatur, quocum Horrearii stilus magnam affinitatem habet: rectius erat, *ostenditur*, *oritur*, *oboritur*, *accenditur*.

Ibid. „ ne ipsam *veluti* Rationem accusare „ videamur; atque, ut veri est justique amans, „ *tamquam Achilli Homerico* Pallas, nobis ma-„ num injiciat." Puerilis affectatio granditatis, & penuria ipsius, de qua loquitur, rationis. Quid Horreario cum Homerico Achille com-mune

mune? nisi *ira*, quam philosophus continere debebat. Tum quid *veluti*? in re propria: ut si dicas, *ipse veluti Horrearius hunc libellum scripsit.*

Pag. 78. Rursus ponit *sui plenus*, ipse adeo barbarismi plenus.

Pag. 79. „Ἀτεχνῶς καὶ ἀδόλως dicam, quid „*eruditorum de te vulgus* statuat atque perhibeat." Est haec ejus perpetua Graecae eruditionis consectatio, sed inepta in Latine scribendo, si Latina adsint diserta verba, nec Graeca majorem vim aut perspicuitatem adferant. Illud vero per est ridiculum, quod *eruditorum vulgus* testem citat. Quid enim est vulgus? *plebs populi*, atque adeo *faex plebis*, *turba indocta.* Et si dicimus *eruditorum vulgus*, dicimus per contemtum, indoctissimam partem eorum, qui docti haberi volunt. Horum equidem judicia non curo, Horrearius curet. Quamquam fortasse is Latini sermonis ignorantia lapsus est, dicens *vulgus eruditorum*, quum dicere debuisset *vulgo eruditi.* i. e. *eruditi sic frequenter & passim judicant.* Horum ego judicia revereor; Horrearii testimonio non moveor.

Ibid. „ ut sunt homines *sui adeo pleni.*" Postremo hic exstat; saepe rediturum, si longior foret libellus.

Ibid. „*Ad instar* „Posterioris Latinitatis, ut

„ ostendit Mahnius noster Epicrisi p. 90. Modo posteriorem Latinitatem sine Belgicismis Horrearius adferret.

Ibid. „ *ne vel umquam.*" Immo, *numquam.*

Pag. 81. „ cum viris *audacibus*, qui bonam „ tueantur veri honestique caussam." His viris se ipse aggregat, putans *audaciam* in laude censeri, eique studens. Dixisset *fortibus*, *constantibus*, *cordatis*: magis Latine & minus inepte dixisset.

Ibid. Dixerat Philalethes p. LXXII, „ me no„ luisse meis studiis aliquid *subsecivi* temporis „ subtrahere ad Horrearium refellendum." Haec ille repetens, inauditum vocabulum facit *subcesivi*.

Ibid. „ *eumque in finem.*" i. e. *hactenus.* Voluit dicere *hoc consilio*, *eam in rem.*

Ibid. „ Hoc enim scias, me nec te, tua licet „ *involutum* Latinitate, neque etiam Critobulum tuum, nec Philalethem, nec alium quem„ piam *fugere.*" Hic est exitus libelli sane claudicans. Aures Latinae & ipsa sententia aliud & plenius requirunt. Dicitur quidem proprie v. c. *miles hostem fugere*, *cerva lupum*, caet. sed in metaphora, ut hoc loco, disertius dicendum erat, addita significatione rei & caussae, quid, quare, ubi, non fugeret: v. c. *non fugio susceptum adversus vos certamen: non defugio hanc*

vo-

vobiscum contentionem: non reformido vos adversarios, vestras vires & facultatem. Tale quid & ratio & Latinitas praecipiunt.

Tum *involutum*, inquit Critobulus, sive bono, sive malo sensu dixit, inepte dixit. Si bono, imprudens & nolens dixit: sic Cicero, *literis me involvo:* Horatius, *mea virtute me involvo.* Si malo; sibi ipse repugnat, qui tuam Latinitatem puram & perspicuam esse fatetur: dicitur autem *involvere se tenebris, nocte, nube, fumo:* & ita proprie & vere dicamus, *Horrearium se involvere Kantianis tenebris, nocte, nube, fumo.*

XXIII.

Hic Philalethes: Sic est, inquit: prorsus è suo libello discedit, ut praecisâ canis caudâ: nam canem quidem impudentiâ & latratu per totum libellum se praestitit, cum in effutiendis stolidis mendaciis & conviciis, tum quod non dubitavit Latine scribere, nesciens Latinitatem constare puritate & urbanitate, utramque ignorans: putans hoc esse Latine scribere, si ea, quae piscariarum dictionibus Belgice composuisset, Latinis verbis redderet, quamvis Belgicismos retineret. Et tu quidem non nisi de singularibus vocibus, & earum conjunctionibus, quas

 phra-

phrases, dicendi formulas, loquendi modos, vocant, notasti. Quod si etiam periodorum inter se continuationem, totiusque orationis nexum atque contextum animadvertisses, infinita materies haec fuisset. Nam, veluti rusticus recens ab aratro ad militiam vocatus, militaribus quamvis vestibus indutus, tamen habitu & incessu rusticum se prodit: sic homines semilatini, quantumvis ex eorum scriptione maculas tamquam ex vestimentis eluas, nihilo minus manent semilatini, duri & inficeti apparent, sensu, cogitatione, sono: quae omnia barbara in illis exstant, & abhorrentia ab ea, quam imitari & agere volunt, hominis Latine docti persona. Itaque, quod in Graecis ei suasi, idem in Latinis ei suadeam, ut Rudimenta & bonum aliquod Grammaticae Compendium serio ac fideliter discat: tum syntaxi studeat; legendo Cicerone & optimo quoque scriptore, stilum ad Latinum habitum conformet, & à Belgicismis purget: nec antea Latine quid scriptum edat, quam huic meo monito satisfecerit. Caeterum multo plures, quam à te notati sunt, Belgicismos deprehendisse mihi videor.

Credo equidem, inquam: sed, si quae dictiones communes sunt Latini & Belgici sermonis, nolui eas in Belgicismis censere: quamquam hanc veniam non damus aliis idiotismis, veluti

He-

Hebraismis Novi Testamenti: qui si nonnumquam cum Graecismis congruunt, tamen eos in Hebraismis censemus; quod scriptor in iis potius Hebraicam consuetudinem, quam Graecae orationis scientiam, secutus est.

Ego vero, inquit Critobulus, inter audiendum saepe miratus sum tuam patientiam, qui adversarii orationem adeo fideliter corrigeres, & jacta in te convicia tamquam tela polires & acueres, ut eo validius ferirent.

Cur non facerem, inquam, vobis affirmantibus id Literarum amantibus gratum & utile fore: aut cur recusarem, ut illis prodessem, vel inimico meo bene facere?

Neque tamen, inquit, ut magis Latina, sic magis probabilia, adversarii convicia reddidisti: adeo enim sunt non solum dicta, sed etiam excogitata, stolide; ut apud neminem sanum, praesertim, qui utrumvis vestrum noverit, fidem inventura sint.

Male, inquam, hercule narras.

Quid ita? inquit.

Quia, inquam, disertus esse possem, si contra ista dicerem.

Video; quid velis: Ciceronem imitaris.

Sic est: Nam, ut hic in Tusculana prima auditori neganti se illa de inferis jactata monstra credere, Cerberum, Cocyti fremitum, transvectio-

tionem Acheruntis, facete respondet: *Male hercle narras, — quia disertus esse possem, si contra ista dicerem;* quod scilicet auditor ei illum campum, in quem oratio ejus confutando excurreret, praecludebat: sic tu mihi occasionem, qua me ipse laudem, praecidis. Nam se ipsum laudare quum per se vanum & invidiosum sit, non nisi una in caussa honeste recteque fieri censetur, si quis adversus alterius falsa crimina ita se defendit, ut contrarium verum esse ostendat: veluti in exemplum justae sui laudationis à Veteribus celebratur Oratio Demosthenis *pro Corona*: qui ab Aeschine inimico, ut malus civis, patriae proditor, aliisque criminibus accusatus, contra plane demonstravit se esse bonum civem, patriae servatorem, optimarum partium, liberalem, beneficum, & factis probavit, & testimoniis confirmavit. Sed hoc est, quod proverbio dicitur, *parva cum magnis conferre:* quae assimilare licet, aequiparare non licet. Neque enim aut nos quid sumus ad Demosthenem & Aeschinem, aut Horrearia ista caussula quidquam est ad nobilissimam illam ex omni antiquitate caussam *pro Corona:* & ridiculum putidumque sit, me contra Horrearii crimina meos mores, vitam, facta, defendere.

XXIV.

XXIV.

Ridiculum ſane & putidum, inquit Philalethes: & hunc totum tibi laborem remittimus. Sed quum praeter tria illa, in quibus cenſuram Horrearii egiſti, capita, philoſophum, Graecum, Latinum, quartum ſit *ſenſus communis* à Latinis & hodiernis dictus, à Graecis *κοινὸς λόγος, κοινὸς νοῦς*, qui pertinet ad judicium de rebus quotidianis & in promtu poſitis, & perſpiciendum in his quid cuique conſequens ſit; incredibile dictu eſt, quam ſe hujus ſenſus expertem & hebetem oſtenderit. Hujus ego capitis non quidem cenſuram agam, quod longum ſit in Horreario, ſed vim virtutemque paucis exemplis declarabo. Et primum quidem, cum ubique nugatur homo, tum vero ubi quid firmius ſibi nactus videtur, plane tragoedias agit. Veluti quod ſaepius crepat, *te per novem annos hanc vindictam meditatum, & interea perpetuo irarum fluctuaſſe aeſtu*; hoc ſi ita esſet, quomodo tu vitam ſanus & valens ad hoc tempus pertuliſſes, nec illo aeſtu conſumtus esſes: in quo tibi etiam nos teſtes ſumus, te ſuperiore demum noſtro ſermone ad iſtius petulantiae animadverſionem, dudum illam debitam, excitatum eſſe. Et quod p. 15, *mendacii te reum agit*, dicentem, ſe primo Amſtelodamenſi an-

anno tuas ſcholas audiviſſe, contendens tertium annum, nec Graecas, ſed Metaphyſicas has ſcholas fuiſſe: & tabulas proferri poſtulans: eſt id ſane hominis, quod dicat, non habentis & anxie quaerentis.

Adderes etiam, inquam, *falſa fingentis*: noverit enim ipſe, illis in ſcholis ac temporibus indices auditorum nullos confici ſolitos fuiſſe. Nam primus an tertius fuerit annus non ſtatuo, nec ad cauſſam nomenque auditoris intereſt. Et Graecarum omnibus ſtudioſis adoleſcentibus gratuitam copiam facere ſolebam.

Poteras, inquit, ipſius exemplo viciſſim ei temporis calumniam reponere, quod nonum pro ſeptimo numeravit anno, quo ſermo noſter habitus & conſcriptus eſt. Ecce vero! Luzacium tibi objicit, ejus laudes, miſerumque obitum, & erga te odium, commiſcens, flebile quoddam ſonare tibique invidiam conflare conatur. Plane, ut caetera omnia, cum rebus falſo & inepte, tum ſtilo hybride & claudicanter. Quae ego primo ſolus mecum legens, quamvis Luzacii ſortem commiſerans, Horrearii ſtultitiam quin riderem facere non potui. In iſto enim tu negotio, omnium judicio, lenis & injuriae patientis animi ſpecimen prodidiſti: qui tum demum ad inimici inſolentiam retundendam acceſſeris, quum ille manes Ruhnkenii noſtri violare auſus eſſet.

Equi-

Equidem, inquam, in hac injuriae patientia ita mihi satisfeci, ut eam omnibus aequis & intelligentibus hominibus, ipsius adeo amicis, probarem: quorum nomina hic memorare & huic controversiolae inserere, non opus est. De odii autem istius caussis nuper dixit Mahnius meus in Epicrisi Bibliothecae Crit. p. 52. Quod, si pro malevolorum obtrectationibus non satis fuerit, rem alio tempore enarrabimus. Ergo neque ipse risum tenere potui, illum legens locum Horrearii, vitio mihi vertentis illud factum, quod omnes prudentes virtuti tribuerent.

XXV.

Venio, inquit Philalethes, ad alia hominis commenta. Rationem te metricam ignorare crepat: stultus sane: stultior etiam in argumentis comminiscendis. Nam id se certissimis documentis demonstraturum affirmans, tria ineptissima adfert exempla: primum Graecum ex Anthologia, in quo tu eum supra p. 83 confutasti: caetera Latina operarum vitia: alterum Horatii Ep. I, 1, quae verba in Bibliotheca Critica Part. XII, p. 23, sic posita sunt — *capsaque porrectus aperta*: ubi *capsaque* vitiosum est pro vero *capsa*: alterum Propertii III, 2, 23. *At non ingenio quaesitum nomen ab aevo Excidet*, quod in eadem Bi-

Bibliotheca tua p. 50, legitur transpositis verbis — *nomen quaesitum ab aevo Excidet.* In quo dementia & malevolentia Horrearii rursus, ut ubique, apparet, aliis persuadere cupientis, te per metri inscitiam sic scripsisse; te, qui vel in eodem libro sexcentos versus recte posuisti, multos etiam probabiliter emendasti.

Est haec, inquit Critobulus, malevolentia cum pari stupore conjuncta: quem tu supra p. 83, 101, confutasti. Sed ego intelligo unde id habeat Horrearius. Habet ab aliquo tuo aemulo poetam se ferente, & te poetas citantem in suum regnum invadere putante: qui, ubi librum edidisti, nil aliud in eo quaerit, quam versus à te citatos aut tentatos, relegit scandens, si quid forte in iis reprehendendum inveniat. Talem ego nuper, paulo ante editam Horrearii epistolam, nactus hominem istos ipsos tres versus jactantem, tibique absenti insultantem, valide confutavi. Sunt hi verissimi ludimagistri, recitatores acerbi, aucupes & exactores syllabarum, ubi non nisi sententia agitur. Adeo verum est illud Terentii, *Homine imperito numquam quidquam injustius est.*

Ego, inquam, semper illud Valckenarii tenui, Αὐτὰρ ἐγὼ βαστεῦμαι ἐμὰν ὁδόν· — meam viam persequor: *Nec tardum opperior, nec praecedentibus insto.* Quid vulgus de me diceret

ret aut ſcriberet, numquam curavi: cumque complures me malevoli ſcriptis peterent, omnes tacitum tulerunt, excepto Horreario, qui unus & primus fuit, cui reſponderem; nec ut injuriam ei referrem, ſed ut ipſum aliosque errore liberarem. Miror autem iſtos meorum aucupes errorum, non ipſas res & proſam orationem perquirere: unde ſane, ut ex majore paginarum numero, multo plures errores colligere poterant. Quod autem ſunt, qui ſibi in verſu ad ſententiam noſtram accommodando ſyllabas omnes adnumerari volunt, neſciunt aut non cogitant, Platonem, Ciceronem, omnes adeo Veteres, quavis fere pagina, poetarum dicta metro ſoluta orationi ſuae contexuiſſe. Et hoc in genere memini recens Klotzii exemplum: qui cum in Antiburmanno ſcripſiſſet p. 5: *Nihil umquam cum Burmanno negotii habui: numquam vidi hominem: ater, an albus ſit, neſcio.* Οὐ πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασεν· reprehenſus à Burmanno, ut ignarus metri, reſpondit: *Quis non videt, me verſum Homericum Il.* A, 154, *rei praeſenti accommodaſſe? Ille vero lectoribus perſuadere cupit, me neſcire quot pedibus conſtet hexameter Graecus.* Nemo ſanus, ne amicus quidem, Burmannum audivit.

XXV.

Memini, inquit Philalethes, illius & rei & temporis. Nunc vero finite me de caeteris multis Horrearii deliramentis pauca notare. Boschii nomen nollem suo libello implicuisset: at iste eo abutitur, & auctoritatem sibi quaerit: & sic serio & graviter loquitur, quasi cum eo secretiora consilia de Academiis curandis & cathedris ornandis conferens. Rectius fecisset, si Boschio obtemperasset, suadenti ne in Horreo te incesseret.

Et hoc, inquit Critobulus, perquam ridicule & arroganter: quasi isto aut Boschius consiliario muneris curatorii, aut cathedrae ornatore egerent.

Illud vero, inquit Philalethes, per est lepidum, quod viros doctos à se correptos & ignominiose tractatos, dicit *à se amice, humaniter, honorifice, admonitos:* te in primis magna laude à se cumulatum, suam admonitionem minus patienter, minusque modeste tulisse: deinde te jubet p. 45, tuam rem agere, inchoata scripta absolvere potius, quam de Philosophia scribere. Atqui sivisset ipse potius te tuam rem agere, nec tibi in ea occupato manum injecisset, teque invitum in hanc litem extraxisset. Nunc quum à te vapulat, clamat te alienam rem agere, ad

tua studia redire debere. Neque minus illud festivum, quod omni te conviciorum genere proscindit, qui scripsisses, se obsequio demulsisse Meerschium: obsequium enim esse adulationem: adulationem tantum esse scelus, quantum fana spoliare, virgines stuprare, patriam auro vendere: denique, nisi tu eum testibus ac tabulis adulationis convincas, perpetuum tibi calumniatoris nomen denunciat.

Nos autem, inquit Critobulus, vicissim Horreatio perpetuum calumniatoris nomen denunciamus, nisi demonstraverit nos tibi adulari: quod in epistola sua dicere ausus est. Caeterum ab hoc homine malim ego vituperari, quam laudari: perpetuâ enim suâ erga bonos homines maledicentiâ illud consecutus est, ut vituperatus ab eo quisque, etiam ignotus, communi prudentiorum praejudicio bonus vir habeatur. Unde fit, ut tributa cui ab eo laus suspecta sit, & eo loco censeatur, quo vulgi applausum censuit Phocion: qui quum aliquando in concione sententiam dicens, eam ab omnibus approbari videret, conversus ad amicos, *An forte*, inquit, *mihi imprudenti aliquod pravum dictum excidit?* Tu contra, calumniae crimen ei objicere possis, qui quot fere paginae sunt libelli sui, tot in te mendacia conjecit.

Condono ista, inquam, febricitanti.

 Duo

Duo etiam sunt hominis deliramenta, inquit Philalethes, quibus notatis meas in hoc sermone partes peregero. Nam in peroratione plane se miserabilem facit, obtestans *vulgi eruditorum* de te judicium. In quo dubium est magisne cogitandi, an dicendi, infantiam ineptiamque rideamus. Homo vetulus repuerascit, & prorsus ut pueri adversariis robustioribus obloquuntur, *Nostine quid homines de te dicant? hoc, & illud, & aliud, de te dicunt!* — sic tibi *vulgum eruditorum* objicit. Hoccine est ejus, qui se philosophum haberi velit, ad *vulgum eruditorum* confugere: quid dico philosophum? puerulum aut puellulam qui se haberi nolit, numquam sic loquatur. Isti nimirum sunt, qui se probari volunt populares philosophos, nosque doctores umbraticos appellant. Legat egregiam Ciceronis disputationem in Oratione Pro P. Sextio, 45 – 47, ubi ostenditur quid intersit inter populares cives & optimates: unde item egregie Ernestus exemplum retulit ad eruditorum civitatem, &, quid in hac optimates à vulgo & popularibus differant, declarat, Opuscul. Philolog. p. 19: *Duo semper*, inquit, *fuerunt in eruditorum civitate genera: alterum eorum, quod se venditaret imperitis, quod variis artibus famam & gloriam quaereret, quod in mediocri doctrina tamen summae eruditionis opinionem*

con-

confectaretur, *&* *sensui semidoctorum se accommodando*, *obtineret; quos ego* populares *vocare soleo: alterum eorum est*, *qui solidam laudem & ad posteritatem omnem propagandam quaerentes*, *viam regiam ad eruditionem insisterent*, *& ex ipsis fontibus limpidam doctrinam haurirent*, *eamque demum veram eruditionem putarent*, *quae ex his peteretur: quos* optimates, *si placet*, *mecum appelles. Nulla aetas fuit*, *quae non magnum popularium numerum haberet*, *qui saepe ab imperitis praeferrentur optimatibus. Sed ea felicitas numquam fuit diuturna*, *neque est ad posteritatem*, *quae incorruptius judicat*, *propagata.*

Ad utrum genus, inquit Critobulus, referendus sit Horrearius, ipse significat, qui ad vulgi judicium provocat. Tanta rursus est conscientiae vis.

XXVI.

Sed illa priora, inquit Philalethes, tragica fuerunt, postremum comicum est. Pergit puerum agere, qui velut victor absentem adversarium ad pugnam provocat, nominatim tribus unâ nobis inclamans p. 81: *Hoc enim scias W! me nec te*, *tua licet involutum Latinitate*, *neque etiam Critobulum tuum*, *nec Philalethem*, *nec alium quempiam*

lat, putans se in Graecorum concionem irruisse, & Ulyssem flagellare: dum salvo Ulyssi apparens Minerva ostendit Ajacem, & miseranti eum nec adspicere sustinenti, hoc subjicit,

Οὐκοῦν γέλως ἥδιστος, εἰς ἐχθροὺς γελᾷν.

Nosti vero, inquam, caetera: quae tibi ego reponam à Grotio eleganter Latine versa: sic autem Ulysses:

Miseresco, quamvis maxime infensum virum mihi,
Quem de repente tanta pressit calamitas:
Sortemque in hujus sorte contemplor meam.
Nam video nil nos esse mortales, nisi
Imaginosa somnia, aut umbram levem:

Quem ita docet Minerva:

His doctus ergo, ne quid effugiat tuo
Ex ore petulans in deos dictum, vide:
Neve insolescas, si quid aut plus dextera
Polles potesque, aut divitis gazae ubere.
Mortalium res turbine incerto dies
Evertit ac reponit: at coelestium
Amat modestos numen, & spernit malos.

Hoc prorsus, inquit Philalethes, in Kantianos

 con-

convenit, divinum numen ex illustri & manifesto loco in obscurum & incertum redigentes; ut quis Horrearium furentem, & tuo nomini umbraeque inaniter insultantem, videns, haud inepte in ipsius concionali festivitatis genere dicat „ hoc factum esse, ut impleretur praedictum „ à Sophocle poëta in Ajace *&* *quidem* versu „ septuagesimo nono & sequentibus."

Ego vero commiseror, inquam, hominem, eumque & sanari & mihi reconciliari velim: hoc tu age, Critobule.

Vereor, inquit Critobulus, ne hic sit è tertio genere aegrotantium.

Quid ita? inquam.

Nostin' quid Plutarchus tuus dicat, in libro De Progressu in Virtute Sentiendo: *Quibus medicina opus est, qui leviter affecti sunt, ipsi recta ad medicum eunt: qui febricitant, domum vocant medicum: qui autem in melancholiam, aut phrenitidem, aut deliria inciderunt, aliquando ne venientem quidem ad ipsos medicum sustinent, sed ejiciunt aut fugiunt, vehementia morbi etiam sensum morbi tollente. Sic eorum, qui peccant, insanabiles sunt, qui hostili animo affecti saeviunt adversus reprehensores & castigatores: qui vero sustinent admittuntque, mansuetiores fiunt.*

Age, age, Critobule, inquit Philalethes, & hoc

hoc nobis tribue, nec laboris irriti metum caussare, qui delirantes sanasti multos: saltem experire: nec ita omnem spem ad vivum reseca; quasi prorsus insanabilis sit Horrearius.

Experiar, inquit, ut ne quid vestrum caussa gravari videar: sed hoc ejusmodi erit, ut, tu W., rem conficias: ego saltem prior hominem adeam, sedem, sanem, tibique viam ejus adeundi aperiam. Quomodo autem cum eo agere constituerim, & quale hoc negotium fore putem, vobis narrabo quasi praesens cum praesente loquens; ut, si quid rectius videritis, mihi impertiatis. Siccine probatis?

Probamus vero, inquit; tu tandem incipe narrare.

XXVII.

Ergo, inquit, intermissionem febris observans, ad eum accedam: januam pulsabo: dicam janitori, me gravi de caussa cum ejus hero agere velle: hic me Kantianum esse putans intromittet: intromissus ad Horrearium, continuo nomen meum aperte edicam, Critobulum Asclepiadis filium: & adventus mei caussam exponere incipiam. Ille me interpellans, Ha! Critobulus Asclepiadis filius, unus ex meis inimicis! certe pacem poscitis: nunc supplices meum numen

 ado-

adoratis, posteaquam victi, prostrati, profligatique meis auspiciis estis, duplicique clade perculsi jacetis, altera à me ipso Dictatore, altera à Magistro Equitum meo. Ita est, fortissime Dictator, pacem poscimus. — Ille rursus meam interrumpens orationem, Haud equidem ita inhumanus sum, ut ab omni pacificatione abhorream: semper enim *cum oratore* Drance apud Virgilium Aeneidos libro XI, *& quidem versu* 362, *exclamo*, *Nulla salus bello*: *pacem te poscimus omnes*: sed dico ἀτεχνῶς καὶ ἀδόλως, haec pax debet meo honore digna esse; ut vos profiteamini, vos mea duo munera, hypopheticum & dictatorium, & praeterea Kantianam doctrinam revereri. Plene, inquam, & abunde tibi satisfaciemus; & insuper magna te mercede mactabimus. Bene narras! quanam illa mercede? Furore te liberabimus. Hui! me furore liberabitis? me furere dicitis? qui modo tam pulcram epistolam scripsi: in qua meum adversarium refutavi, ac tam sedate ac subtiliter philosophatus sum. Esto subtilissime & sedatissime philosophe hypopheta: sed nunc quidem te non optime valere, & sermo tuus & color prodit: numquamne alias febri laborasti. Vero, laboravi. Nonne praesens tuus affectus similis est illi affectui, quo te febricitantem fuisse meministi? Non prorsus dissimilis est. Exsere linguam

guam: hem, ut maledicentiâ tumet! aperi oculos: hui, ut invidiâ tument! cedo venae pulsum: heu, ut penitus iracundiâ agitatur! tecum sic affecto pacem facere non possumus; extra potestatem existi: valido utendum remedio: tribus anticiris opus est: purgari te oportet funditus, ἄνω καὶ κάτω, supra & infra, nostin'? Faciam, inquit, dummodo conditiones à vobis extorqueam honorificas, quae mihi perpetuitatem munerum meorum praestent, hypophetici & dictatorii; *ut tamquam stella primae magnitudinis in coelo Batavo fulgeam, & coram τοῖς ἔξω locum meum dignissime tuear:* & *vulgus eruditorum statuat, me omnibus dominari:* sed *hoc involvit, vos mihi debere bono exemplo praeire,* & *me considerare ut* magnum philosophum ac literatorem: & meos libros *considerare ut* excellentes, *in quibus igitur omnia invenienda,* quae ad Metaphysicam pertinent: & *ne vel* conari debetis aliter cogitare: nec mihi & aliis viris *audacibus verborum jactationem excutere.* Nam mihi *lumen* Philosophiae *apparuit:* vos autem ignoratis *quid per Philosophiam intelligitis;* ut ego *palam feci & veluti* demonstravi in mea Epistola *& quidem* pagina 28. Et non debetis dicere mihi *obsequium* inesse: *hoc enim non pertinet ad ea, quae Graecis ἀδιάφορα dicuntur:* & hoc ego *aeque minus* perferre possum,

quam

alienat, omniumque odia sibi merito *conflat*. Et ego hanc *assertionem* rationibus *spectatu* haud indignis confirmabo. *Vel an* putatis me non etiam *pro virili dicteria evomere posse*. Vos non *adscenditis* ad magnitudinis sensum, nec *vos eo incensos inflammatosque esse sentire potestis. Mihi autem Ratio tamquam Achilli Homerico manum injecit.* Cohibe, inquam, paulisper sermonis tui contentionem, quae affectum tuum exasperat: & dic mihi, an tu item à Literis abstineas, quum tuo arbitratu locos Veterum apponis, & modo cum rege Agamemnone, modo cum Comico, nescio quid exclamas: qui de Graecis loqueris, neç intelligis: Latine scribis, nec potes. Ha! inquit, hoc plane diversum est: hoc mihi, ut philosopho, licet. Quidni, inquam, illi, ut Literatori, de Philosophia quae intelligit loqui liceat? & dicas potius, commune esse utrumque bonum, Literas & Philosophiam, & neutrius munus, nisi assumto alterius, vel adjumento, vel ornamento, sibi constare posse: sed de his tu rebus rectius judicabis, quum purgatus ad sanitatem redieris: nunc cedo chartulam cum calamo, ut remedium tibi praescribam —: En praescriptum! quod ut recte componatur providebo: tu compositum fideliter sumes. Vale hypopheta, seu potius convalesce.

En, inquit Philalethes, probabilem congres-

sum,

fum, &, ut fpero, ad pacem profuturum. Jam tuum eft, mi W., tuas partes agere, ad Horrearium item accedere, eumque penitus placare; quandoquidem Critobulus eum tibi molliorem ad tractandum praebuit.

Et ego, inquam, vereor ut Critobulus hoc effecerit, & Horrearius praefcriptum remedium fumferit; ne forte ab eo praefens importune accipiar, aut loquens continuo interpeller, malo abfens tamquam ad refipifcentem fcribere.

Facies, inquit, utcumque voles; modo facias.

XXVIII.

Itaque, quod vultis, hujusmodi fere fit:

„ Accepi epiftolam tuam, o bone: in qua vehementer mihi irafceris & maledicis: quod an philofophi fit, tu videbis, qui philofophum te profiteris: ego, qui tanti nominis honorem mihi non affumo, maledicta tua tibi tam ignofco, quam furentibus medici adfidentes eosque curantes ignofcunt iis conviciantibus & verberantibus. Nam & hi laborem injuriamque patienter ferunt, ut illis bene faciant: & ego, ut bene tibi facerem, meo in libello te admonui: & nunc tua convicia tuli: nec tibi irafcar, quamvis irafcenti, nec conviciabor, quamvis convicianti: nec dimit-

mittam te, donec te sanavero mihique reconciliavero. Nescio an legeris illud Socratici Euclidis factum: cui quum frater iratus minaretur, *Peream, nisi te ultus fuero*, ipse respondit, *Peream, nisi te placavero.* Sic & ego tecum agam. Et quandoquidem me in certamen vocas, & oppugnas petulantiâ, contumeliâ, scurrilitate; fateor me istis in artibus rudem tibi versato victoriam lubenter concedere. Aliud mihi tecum constitutum certamen existimo, rationis, beneficientiae, liberalitatis, omnino humanitatis: humanitatis, inquam, mihi tecum maxima atque adeo unica est necessitudo; quando caeteras necessitudines respuis. Dicis, justam tibi fuisse irascendi caussam; quod in Bibliotheca Critica te severius reprehenderim, quum tu mihi in Horreo tuo lenem & modestam admonitionem adhibuisses. Quod quum dicis, omnes intelligentes te derident. Et, ut tu intelligas, merito illos ridere, negotium tuum paulo altius repetam. Valckenarii te discipulum profiteris: magni viri, immo maximi! à quo tu multa discere poteras, non solum in Literis, sed in moribus, modestiam & gloriolae contemtum. Tu vero neutrum fecisti illa in diciplina. Nam Literas vix primoribus labris degustans, simul Philosophiae, mox Theologiae te dedisti: quarum doctrinarum praecepta utinam contulisses

ad

ad animum lenitate, placabilitate, modestiâ conformandum; ita multis caruissemus rixis, quas tibi aliisque excitasti. Nunc, quasi ex tota Philosophia unum Empedoclis νεῖκος οὐλόμενον, perniciosum rixandi studium, suscepisses, illud continuo in Theologiam intulisti, & utramque tibi contentionis & cavillationis gymnasium fecisti. Quin tu potius inchoatam Literarum cognitionem auxisses: nec Iliade & Hippolyto contentus, quae sola, si forte, legisti, Odysseam quoque, & aliorum poetarum carmina, lectitasses: inde ad historicos & philosophos progressus, & memoriam rerum copiâ locupletasses, & ingenium ad judicandi facultatem acuisses: ita cognitionem via & ratione ordinasses, & certioribus fundamentis firmasses; nec levissima quaeque novitatis vanitatisque aura te verteret & auferret: nec praepostere incederes, sed tibi magis constares: nec, qui te in divinis oraculis tam difficilem ad credendum faceres, Kantii oracula χανδὸν, id est fauce hiante, haurires: neque te in Philosophia, quae se Criticam cognominat & judicatricem, te judicii expertem & credulum praeberes. Atque haec non eo consilio dixi, ut te irritarem: contra etiam, ut te sedarem, & ad tui ipsius cognitionem revocarem. Dic tandem, per Deorum hominumque fidem, quemnam tibi vitae tam litigiosae fructum proponas? Mul-

Multos in ſcriptis tuis homines doctos laeſiſti: horum quosdam nominavi in Bibliothecae Criticae P. XII: quidam me fugerunt: duorum me addere potuisſe nomina, monuit me amicus meus, quem tu & tuum esſe gloriaris, Hamelsveldii & Haakii, virorum clariſſimorum. Plerique tibi reſponderunt: tu rurſus quid repoſuiſti: illi tacuerunt: poterant & ipſi aliquid reponere: tu non tacuisſes: ita reciprocatio perpetua futura erat. Tu tali in vita tot litibus occupata, tot contentionibus turbata, quando aliis ſtudiis vacabis? quando diſces, quae adhuc ignoras? Literas Latinas, Graecas, utriusque Linguae Rudimenta, in quibus multum vacillas: tum Hiſtorias, Antiquitatem eruditam: ipſam Philoſophiam, cujus tu partem Dialecticam, Mathematicam, Phyſicam, vix à limine ſalutaſti: certe numquam ita percepiſti, ut eum oportet, qui ſe philoſophum profiteatur: unam Philoſophiam eſſe putas doctrinam Kantianam: neque hanc ſatis cognitam habes, quamquam ea gloriaris: neque dicta tui prophetae recte percepiſti ac didiciſti: quod manifeſtis indiciis oſtendimus. His tu addiſcendis rebus debitum tempus rixando conſumſiſti. Et, quod Cicero dicit de Literis & ſtudiis humanitatis, hoc tibi lites & contentiones fuerunt: hae tuam adoleſcentiam aluerunt, ſenectutem oblectant, pernoctant tecum, peregrinantur, ruſticantur:

Αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε μάχαι τε.

Venio ad noſtram cauſſam. Ultro allatraſti me in Horreo tuo; Boſchio noſtro fruſtra diſſuadente. Ego tacere conſtitueram, ut antea ſemper ad aliorum latratus tacueram: & ſic ad tuum latratum perpetuo taciturus eram, niſi me ille in ſuperiore Bibliothecae Criticae Parte habitus ſermo ad te admonendum convertiſſet; quum ante ſaepe, ut hoc facerem, boni viri frequentes me hortati eſſent, affirmantes hoc me literatae civitati debere, multisque doctis hominibus à te laeſis; praeſertim quum inſolenter petulanterque graſſari, & optimum quemque corripere, pergeres; tempus eſſe ajebant, ut, qui te ſevere coerceret, aliquis exiſteret: hunc me eſſe volebant, & perſuadebant. Sed illud ſubinde crepas, injuſte me egiſſe, qui te nono poſtea anno reprehendiſſem; praeſertim quum tua in me oratio non fuerit niſi lenis admonitio, eaque humanitatis plena & honorifica. Hoc quum dicis, dubium nobis facis, utrum plus in te ſuperbiae an ſtuporis ineſſe dicamus; qui poſtulas, ut mihi honori ducam à te caſtigatum, nec ſaevius tractatum, eſſe: illud certe, oſtendis te neſcire quid ſit modeſtia, humanitas, honor. Deinde non fuit nonus, ſed ſeptimus annus, quum illud de te ſcriberem. Denique: tu mihi es philoſophus, qui rerum veritatem tempore mutari pu-

putes. Si tum, quum me allatraveras, verum fuit te male fecisse, etiam nunc verum est: & si tunc verum fuit te poenam meruisse, etiam, interjecto quamvis longo tempore, verum est te poenam meruisse. An vero tu me & incesses, & respondendi tempus mihi praestitues; quo praeterito, in perpetuum mihi tacendum sit? Mira licentia! Et quod non recenti facto, sed diu postea, te punivi, eo minus iraeunde & cum animi motu, eoque magis cum justitiae ratione & judicii constantia feci. Est haec Divinae Providentiae via, quam nos homines sequi debemus, quae malos non confestim omnes punit, sed quando ipsa opportunum esse judicat: *κατ' οἰκονομίαν*, ut veteres philosophi, quos ignoras, loquuntur, id est, tempore, loco, modo, qui maxime cum universi administratione congruat. His ego rationibus ad te puniendum accessi: quamquam sciebam quantum in te inesset bilis & maledicentiae, idque totum in me effusum iri praevidebam: nec pertimescebam: sed reipublicae caussa meum caput isti procellae lubens objiciebam. Cujus quidem quem exitum futurum putes, vide: scilicet eum, quo tu postremus crepes, & victor habeare. Quam ego tibi victoriam aequissimo animo concedo. Et id tibi affirmo, & hanc tibi conditionem fero: si ad hoc à me tibi nunc adhibitum *καθάρσιον* obtemperantem te & tacitum praebueris, me te pro sa-

nato & reconciliato habiturum: ſed ea lege, ut nil adverſus me, vel ipſe, vel per tuos ſatellites, aut ſcribas, aut declames in veſtris conciliabulis, aut mutias, muſſes, musſites: cujusmodi ſi quid reſcivero, latam tibi à me pacis conditionem irritam fore. Tuum igitur erit, ab omni hoſtili dicto, facto, ſcripto, & ipſum abſtinere, & tuos ſatellites praeſtare. Quid autem ſit *praeſtare aliquem*, ne ignores, dicam barbaro & tuo ſermone, *tu reſpondere debebis*, *tu reſponſabilis eris pro tuis ſatellitibus*. Quod ſi igitur, contra, à te tuisve ſatellitibus dictum, factum, ſcriptum, cognovero; ego nil reſcribam: ſed, quod nunc ſcribo, mihi poſtremum erit ſcriptum. Neque tamen idcirco te dimittam: ſed, ut nondum ſanatum reconciliatumque, te junioribus medicis tradam, qui te perpurgent, perſanent, perpacent; ut penitus mihi reconcilieris: qui, ut juniores & acriores, vereor ne te durius acerbiusque tractaturi ſint. Hoc tu tempus noli exſpectare, ſed potius ratione praecipe:

ſapere aude!
Incipe: qui recte vivendi prorogat horam,
Ruſticus exſpectat dum defluat amnis: at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis aevum.

Et quando animadverti, te Horatium legiſſe, certe ejus dicta citare ſolere, & in magna aucto-

toritatis parte ponere, subjiciam tibi saluberrimum inde praeceptum:

Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit;
Si modo culturae patientem commodet aurem.
Virtus est, vitium fugere: & sapientia prima,
Stultitia caruisse.

Hoc vero ita in te convenit, ut si constaret Horratium prophetam fuisse, isto oraculo te significari diceremus. Sume, inquit, meum *libellum*; hic tibi certum est *piaculum*, *καθάρσιον*· *lege* eum *ter*, ut solebant in sacris *ter facere*, ternum numerum ut religiosum celebrantes: & *pure* eum lege, id est pura mente, *καθαρῶς*, purgans te & purgatus, *καθαιρόμενος καὶ καθαρθείς*.

Age igitur, continuo recte vivendi viam ingredere: spreto, cui servis, studio rixandi & popularem auram captandi, disce, quae discenda tibi sunt: Literas, & Philosophiam. Nam adhuc, sodes, non magis philosophus, quam literator, fuisti. Neque enim is est philosophus, qui se alicui sectae in servitutem addixit, in ejusque verba juravit: veluti

 tu

tu caput tuum Kantiano malleo ſubjeciſti cudendum, formulis imprimendum, percutiendum, perforandum: neque, qui disſentientibus iraſcitur & conviciatur: neque, qui imperitos in conciliabulis venans, ſuis opinionibus & temeritate imbuit, ab iisque philoſophus habetur & ſalutatur: ſed is, qui cum doctrinam Philoſophiae mente ac ratione perceperit, tum eam ad animum referat, & vita moribusque exprimat. Vin' veram tibi philoſophi imaginem oſtendam? Ne te ad Platonem, Ariſtotelem, Graecos tibi non intellectos, rejiciam: lege, quem lectitare te videri vis, Ciceronem, De Legibus I, 22, De Finibus III, 22, Tusculanarum Diſputationum V, 24. Eſt igitur is, qui tres Philoſophiae partes, Phyſicam, Ethicam, Dialecticam, perceperit: ſe ipſum, rerum naturam, ejusque creatorem Deum, cognoſcere ſtudeat: ad ejusque ſapientiae exemplum in hujus mundi fabrica & gubernatione conſpicuum, ſuam ipſe mentem ad virtutem informet: quibus perſpectis inveniuntur fontes & rationes omnis veri, boni, pulcri: quae ſint principia, qui fines rerum agendarum & fugiendarum: quae ſint officia, quae degendae ratio aetatis deligenda. Veluti, ſi quis docendi munus ſuſtineat, ſive, ut ego, publice mandatum, ſive, ut tu, voluntarium & ſponte asſumtum, ne diſcentium judicia pervertat, neque

que ea occupet alicujus sectae decretis inculcandis, sed ad verum à falso distinguendum acuat: tum, ne boni malique discrimen eos tollere assuefaciat, nec ad morum corruptionem viam iis aperiat: nec suis dictis factisque juventuti impudentiae ac temeritatis, sed modestiae verecundiaeque, exemplum praebeat: firmiter tenens illam Platonis sententiam De Legibus V, p. 605, C: *ubi inverecundi sint senes, ibi juvenes impudentissimos fieri.* Ad illa igitur, quae diximus, omnium virtutum rationes referet: prudentiam in judicio veri & falsi, boni & mali, pulcri & turpis, tum in vita actionibusque gubernandis: justitiam in beneficientia & liberalitate erga alios, & communi generis humani caritate: temperantiam in coercendis cupiditatibus, sedandis perturbationibus, omnium actionum decore & modo servando: fortitudinem in adeundis periculis, tolerando dolore, contemnenda morte, omniumque praeceptis virtutum constanter perficiendis. Atque duas illas partes, Physicam & Ethicam, quasi saepimento vallabit ac firmabit Dialectica, quam Peripatetici & recentiores homines Logicam dicunt, arte veri inveniendi, judicandi, & cum aliis communicandi. Cumque se ad civilem societatem natum senserit, non solum illa subtili disputatione sibi utendum putabit: sed, eodem auctore Cicerone, etiam fusa

possit, te sibi consulere & reconciliari velle. Ergo fac, ut hunc sermonem quantocyus edas; quo citius cum eo pax nobis restituatur.

Ain' tandem, inquam, putasne me in animum inducere posse otio lectorum sic abuti, ut hunc sermonem solum emittam, nec Philomathiae meae proxime conscribendae & edendae includam, stipatum aliis chartis, quibus taedium Horreariae crambes temperetur & compensetur?

Sit sane hoc melius, inquit: vulgus quidem eruditorum, cui servit Horrearius, malit citius & solum, quam serius & comitatius accipere: sed ille suum dominum, tu tuum judicium sequare. Nos vero huic tandem sermoni finem faciamus, animosque aliud agendo & ambulando recreemus.



ANECDOTA.

ΜΟΥΣΩΝΙΟΥ

ἐκ τοῦ, εἰ παραπλησίως παιδευτέον τὰς θυγατέρας τοῖς υἱοῖς.

Λόγου δέ ποτε ἐμπεσόντος, εἰ (a) τὴν αὐτὴν παιδείαν παιδευτέον τοὺς υἱέας καὶ τὰς θυγατέρας· Ἵππους μὲν, ἔφη, καὶ κύνας ὁμοῦ οὐδὲν διαφερόντως παιδεύουσιν οἵ τε ἱππικοὶ καὶ οἱ κυνηγετικοὶ τοὺς ἄῤῥενας τῶν θηλειῶν· ἀλλ' αἵ τε κύνες αἱ θήλειαι παραπλησίως τοῖς ἄῤῥεσι διδάσκονται θηρᾷν· ἵππους τε θηλείας ἄν τις θέλῃ (b) τὰ ἵππων ἔργα ἀποτελεῖν καλῶς, οὐ διάφορον τῶν ἀῤῥένων διδασκαλίαν διδασκομένας ἰδεῖν ἐστίν· ἀνθρώπους δὲ τοὺς ἄῤῥενας ἐξαίρετόν τι ἄρα δεήσει ἔχειν ἐν τῇ παιδείᾳ καὶ τροφῇ παρὰ τὰς θηλείας, ὥσπερ οὐχὶ τὰς αὐτὰς παραγίνεσθαι δέον ἀρετὰς ἀμφοῖν ὁμοίως ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ, ἢ ἐπὶ τὰς αὐτὰς ἀρετὰς μὴ διὰ τῶν αὐτῶν παιδευμάτων ἢ δι' ἑτέρων οἷόν τε ὂν (c) ἐλθεῖν. Ὅτι δὲ οὐκ ἄλλαι ἀρεταὶ ἀνδρὸς, ἄλλαι δὲ γυναικὸς, ῥᾴδιον μαθεῖν. Αὐτίκα, φρονεῖν δεῖ μὲν τὸν ἄνδρα, δεῖ δὲ καὶ τὴν γυναῖκα· ἢ τί ὄφελος εἴη ἂν ἄφρονος ἀνδρὸς ἢ γυναι-

(a) MS. ἐπί.
(b) MS. θέλω.
(c) MS. οὖν.

ναικός. Εἶτα δικαίως βιοῦν οὐδέτερον ἧττον θατέρου· ἀλλ' ὅ, τε ἀνὴρ οὐκ ἂν εἴη πολίτης ἀγαθὸς, ἄδικος ὢν, ἥ τε γύνη οὐκ ἂν οἰκονομοίη (*d*) χρηστῶς (*e*) μὴ δίκαιος ἀλλ' ἄδικος οὖσα· πρῶτον ἀδικήσει τὸν ἄνδρα, ὥσπερ τὴν Ἐριφύλην φασι (*f*). Σωφρονεῖν μὲν οὖν καλὸν τὴν γυναῖκα, καλὸν δ' ὁμοίως καὶ τὸν ἄνδρα. τῷ γοῦν μοιχεύειν τὸ μοιχεύεσθαι ἐπίσης κολάζουσιν οἱ νόμοι. καὶ λιχνείαι καὶ οἰνοφλυγίαι, καὶ ἄλλα παραπλήσια κακὰ, ἀκολαστήματα ὄντα καὶ καταισχύνοντα μεγάλως τοὺς ἐνεχομένους, ἀποφαίνει τὴν σωφροσύνην ἀναγκαιοτάτην οὖσαν ἀνθρώπῳ παντὶ, τῷ τε θήλει καὶ τῷ ἄῤῥενι. διὰ γὰρ σωφροσύνης μόνης ἐκφεύγομεν ἀκολασίαν, ἄλλως δ' οὐδαμῶς. Τὴν ἀνδρίαν φαίη τις ἂν ἴσως μόνοις προσήκειν τοῖς ἀνδράσι. ἔχει δὲ οὐδὲ τοῦτο ταυτί. δεῖ γὰρ ἀνδρίζεσθαι τὴν γυναῖκα καὶ (*g*) καθαρεύειν δειλίας τήν γε ἀρίστην, ὡς μήθ' ὑπὸ πόνου μήθ' ὑπὸ φόβου κάμπτηται· εἰ δὲ μὴ, πῶς ἔτι σωφρονήσειεν ἄν τις ἢ φοβῶν ἢ προσάγων πόνους, βιάσασθαι αὐτὴν δύνηται ὑπομεῖναί τι τῶν αἰσχρῶν. δεῖ δὲ δὴ καὶ ἀμυντικὸν (*h*) ἔχειν τὰς γυναῖκας, εἰ μὴ

νὴ

(*d*) MS. οἰκονομίη.

(*e*) MS. ἢ μὴ.

(*f*) deesse quid videtur.

(*g*) καὶ abest in MS.

(*h*) forte, ἀμυντικῶς.

νὴ Δία φαίνεσθαι μέλλουσι κακίους ἀλεκτορίδων καὶ ἄλλων ὀρνίθων (*) θηλειῶν, αἱ πολὺ μείζοσι θηρίοις ἑαυτῶν ὑπὲρ τῶν νέων διαλλάττονται (i). πῶς οὖν οὐκ ἀνδρείας αἱ γυναῖκες δέοιντο. ὅτι δὲ καὶ ἀλκή τις δι' ὅπλων μέτεστιν αὐταῖς, ἐδήλωσε τὸ Ἀμαζόνων γένος, ἔθνη πολλὰ δι' ὅπλων καταστρεψάμενον· ὥστ' εἴ τι ἐνδεῖ πρὸς τοῦτο ταῖς ἄλλαις γυναιξὶν, ἀνασκησία μᾶλλον ἢ τὸ μὴ πεφυκέναι (k) ἀρετὰς ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἀνάγκη πᾶσα καὶ τροφὴν καὶ παιδείαν τὴν αὐτὴν προσήκειν ἀμφοῖν. παντὶ γὰρ ζώῳ καὶ φυτῷ τὴν ἐπιμέλειαν τὴν προσαγομένην ὀρθῶς ἐμποιεῖν χρὴ τὴν (l) ἐκείνων προσηκούσαν ἀρετήν. Ἢ εἰ μὲν ἔδει αὐλεῖν δύνασθαι παραπλησίως ἄνδρα καὶ γυναῖκα, καὶ εἰ τοῦθ' ἑκατέρῳ αὐτῶν ἀναγκαῖον ἦν πρὸς τὸν βίον, ἀμφοτέρους ἂν ἐπ' ἴσον τὴν αὐλητικὴν τέχνην ἐξεδιδάσκομεν· καὶ εἰ κιθαρίζειν ἑκάτερον. ἀμφοτέρους δὲ εἰ δεῖ γενέσθαι ἀγαθοὺς

τὴν

(*) Ex Platone ductum Leg. VII, p. 638, A: πολλή που κακία πολιτείας, οὕτως αἰσχρῶς τὰς γυναῖκας εἶναι τεθραμμένας, ὡς μήτ' ὥσπερ ὄρνιθας περὶ τέκνων μαχομένας πρὸς ὁτιοῦν τῶν ἰσχυροτάτων θηρίων θέλειν ἀποθνήσκειν τε καὶ πάντας κινδύνους κινδυνεύειν.

(i) forte, διαμάχονται.

(k) forte corrigendum, ἀνασκησίᾳ μᾶλλον συμβαίνοι ἢ τῷ μὴ πεφυκέναι τὰς αὐτὰς ἀρετὰς ἀνδρὸς καὶ γυναικός. Ἀνάγκη οὖν πᾶσα καὶ τροφὴν κ. τ. λ.

(l) legendum ἑκείνῳ.

τὴν ἀνθρώπῳ προσήκουσαν ἀρετὴν, καὶ φρονεῖν ὁμοίως δύνασθαι καὶ σωφρονεῖν, καὶ ἀνδρίας μετέχειν καὶ δικαιοσύνης μηδὲν ἧττον θατέρου θάτερον· οὐ γὰρ (*) ὁμοίως ἑκάτερον παιδεύσομεν; οὐδὲ τὴν τέχνην, ἀφ᾽ ἧς γένοιτ᾽ ἂν ἄνθρωπος ἀγαθὸς, ἐπίσης ἀμφοτέρους διδάξομεν; Ἀλλὰ χρὴ οὕτω ποιεῖν, καὶ οὐχ ἑτέρως. Τί οὖν, καὶ ταλασίαν, φησί τις, ἴσως ἀξιοῖς σὺ παραπλησίως ἐκμανθάνειν ταῖς γυναιξὶν τοὺς ἄνδρας, καὶ γυμναστικὴν μετέρχεσθαι ὁμοίως τοῖς ἀνδράσιν τὰς γυναῖκας; Τοῦτο μὲν οὐκέτι ἀξιώσω ἐγώ· φημὶ δὲ ὅτι οὔσης ἐν τῷ γένει τῷ ἀνθρωπίνῳ τῆς μὲν ἰσχυροτέρας φύσεως τῆς τῶν ἀῤῥένων, τῆς δ᾽ ἀσθενεστέρας τῆς τῶν θηλειῶν, ἑκατέρᾳ φύσει τῶν ἔργων ἀπονεμητέον τὰ προσφορώτατα, καὶ τὰ μὲν βαρύτερα τοῖς ἰσχυροτέροις ἀποδοτέον, τὰ δὲ ἐλαφρότερα τοῖς ἀσθενεστέροις· διὰ τοῦτο μὲν ταλασία ταῖς γυναιξὶ μᾶλλον πρέποι ἂν ἤπερ ἀνδράσι, ὥσπερ οἰκουρία· γυμναστικὴ δὲ ἀνδράσι μᾶλλον ἢ γυναιξὶν, ὥσπερ καὶ θυραυλία· εἶναι δ᾽ ὅτε μέντοι καὶ ἄνδρές τινες τῶν ἐλαφροτέρων ἔργων ἔνια καὶ δοκούντων γυναικείων μεταχειρίσειν τ᾽ ἂν (m) εἰκότως, καὶ γυναῖκες αὖ τῶν σκληροτέρων καὶ δοκούντων μᾶλλον προσήκειν ἀνδράσιν ἐργάσαιντ᾽ ἂν, ὅταν ἢ τὰ τοῦ σώματος οὕτως ὑφηγῆται, ἢ τὰ τῆς χρείας, ἢ τὰ τοῦ καιροῦ. Παν-

(*) videtur requiri οὐκ ἆρ᾽

(m) forte, μεταχειρίσαιντ᾽ ἄν.

Πάντα μὲν γὰρ ἴσως ἐν κοινῷ κεῖται τὰ ἀνθρώπεια ἔργα, καὶ ἔστι κοινὰ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν, καὶ οὐδὲν ἀπότακτον ἐξ ἀνάγκης τῷ ἑτέρῳ, μηδὲ ἐπιτηδειότερα τὰ μὲν τῇδε τῇ φύσει, τὰ δὲ τῇδε· δι' ἃ τὰ μὲν ἀνδρῷα καλεῖται, τὰ δὲ γυναικεῖα· ὅσα μέντοι τὴν ἀναφορὰν ἔχει εἰς ἀρετὴν, ταῦτα φαίη τὶς ἂν ὀρθῶς ἐπ' ἴσον ἑκατέρᾳ προσήκειν φύσει, εἴτι (n) καὶ τὰς ἀρετὰς προσήκειν φαμὲν οὐδὲν τοῖς ἑτέροις μᾶλλον καὶ (o) τοῖς ἑτέροις. Ὅθεν εἰκότως οἶμαι καὶ παιδευτέον ὅσα πρὸς ἀρετὴν παραπλησίως τό, τε θῆλυ καὶ τὸ ἄῤῥεν· καὶ ἀρξαμένους ἀπὸ νηπίων εὐθὺς διδακτέον, ὅτι τοῦτο μὲν ἀγαθὸν, τοῦτο δὲ κακὸν (p) (κακὸν ταυτὸν ἀμφοῖν) καὶ τοῦτο. μὲν ὠφέλιμον, τοῦτο δὲ βλαβερὸν, καὶ τόδε μὲν πρακτέον, τόδε δὲ οὔ. ἐξ ὧν ἐπιγίνεται φρόνησις τοῖς μανθάνουσιν ὁμοίως τε κόραις καὶ κούροις, καὶ οὐδὲν διαφορώτερον τοῖς ἑτέροις. Εἶτα δὲ ἐμποιητέον δίδω (q) πρὸς ἅπαν αἰσχρόν· (r) ὧν ἐγγενομένων ἀνάγκη σώφρονας εἶναι καὶ ἄνδρα καὶ γυναῖκα.

(n) legendum εἴγε.

(o) lege ἤ.

(p) temere positum, sic ponendum videtur — εὐθὺς διδακτέον ταυτὸν ἀμφοῖν, ὅτι τοῦτο μὲν ἀγαθὸν, τοῦτο δὲ κακόν κ. τ. λ.

(q) lege αἰδῶ.

(r) videtur quid deesse.

κα. Καὶ μὴν τὸν παιδευόμενον ὀρθῶς, ὅστις ἂν ᾖ εἴτε ἄῤῥην εἴτε θήλεια, ἐθιστέον μὲν ἀνέχεσθαι πόνου, ἐθιστέον δὲ μὴ φοβεῖσθαι θάνατον, ἐθιστέον δὲ μὴ ταπεινοῦσθαι πρὸς συμφορὰν μηδεμίαν· δι' ὅσων ἄν τις εἴη ἀνδρεῖος. ἀνδρίας δὲ μικρῷ πρότερον ἐδείχθη δεῖν μετεῖναι καὶ γυναιξίν. Ἔστι τοίνυν πλεονεξίαν μὲν φεύγειν, ἰσότητα δὲ τιμᾶν, καὶ εὐποιεῖν μὲν θέλειν, κακοποιεῖν δὲ μὴ θέλειν ἄνθρωπον ὄντα ἀνθρώπους· ἔστι μὲν δίδαγμα κάλλιστον καὶ δικαίους ἐπιτελεῖ (s) τοὺς μανθάνοντας. τί δὲ μᾶλλον ἄνδρα μεμαθηκέναι χρὴ ταῦτα· ἤπερ (t) νὴ Δία πρέπει δικαίας εἶναι γυναῖκας, καὶ ταῦτα δεῖ μεμαθηκέναι ἄμφω τά γε καιριώτατα καὶ μέγιστα. Εἰ γάρ τι που καὶ μικρὸν ὁ μὲν εἴσεται, ἡ δὲ οὔ, ἢ ἀνάπαλιν, ἡ μὲν εἴσεται, ὁ δὲ οὔ, τεχνίτου τινὸς ἐχόμενον, οὐ τοῦτο διάφορον ἀποφαίνει τὴν ἑκατέρου παιδείαν· μόνον περὶ μηδενὸς τῶν μεγίστων ἕτερος ἕτερα μεμαθηκέτω, ἀλλὰ ταῦτα (u). Ἂν δέ τις ἐρωτᾷ με, τίς ἐπιστήμη τῆς παιδείας ταύτης ἐπιστατεῖ, λέξω πρὸς αὐτὸν ὅτι φιλοσοφίας ἄνευ ὥσπερ ἀνὴρ οὐκ ἂν οὐδεὶς, οὕτως οὐδ' ἂν γύνη παιδευθείη ὀρθῶς. Καὶ οὐ τοῦτο βούλομαι λέγειν, ὅτι τρανότητα περὶ λόγους καὶ δεινότητά τινα περιττὴν χρὴ προσ-

(s) lege ἀποτελεῖ.
(t) forte, εἰ γάρ.
(u) forte τὰ αὐτά.

προσεῖναι ταῖς γυναιξὶν, εἴπερ φιλοσοφήσουσι καὶ γυναῖκες· οὐδὲ γὰρ ἐπ' ἀνδρῶν ἐγὼ πάνυ τι τοῦτο ἐπαινῶ· ἀλλ' ὅτι ἦθους χρηστότητα καὶ καλοκαγαθίαν τρόπου κτητέον ταῖς γυναιξίν· ἐπειδὴ καὶ φιλοσοφία καλοκαγαθία ἐστὶν ἐπιτήδευσις, καὶ οὐδὲν ἕτερον.

ΜΟΥΣΩΝΙΟΥ

ἐκ τοῦ ὅτι καὶ γυναιξὶ φιλοσοφητέον.

Ἐπεὶ δ' ἐπύθετό τις αὐτοῦ, εἰ καὶ γυναιξὶ φιλοσοφητέον, οὕτω πως ἤρξατο διδάσκειν ὡς φιλοσοφητέον αὐταῖς. Λόγον μὲν, ἔφη, τὸν αὐτὸν εἰλήφασι παρὰ θεῶν αἱ γυναῖκες τοῖς ἀνδράσι, ᾧ τε χρώμεθα πρὸς ἀλλήλους· καὶ καθ' ὃν διανοούμεθα περὶ ἑκάστου πράγματος (a), ἀγαθὸν ἢ κακόν ἐστι, καὶ καλὸν ἢ αἰσχρόν. Ὁμοίως δὲ καὶ αἰσθήσεις τὰς αὐτὰς ἔχει τὸ θῆλυ τῷ ἄῤῥενι, ὁρᾷν, ἀκούειν, ὀσφραίνεσθαι, καὶ τὰ ἄλλα. Ὁμοίως δὲ καὶ μέρη σώματος τὰ αὐτὰ ὑπάρχει ἑκατέρῳ, καὶ οὐδὲν θατέρῳ πλέον. Ἔτι δὲ ὀρέξεις, καὶ οἰκειώσεις φύσει πρὸς ἀρετὴν οὐ μόνον γίνεται τοῖς ἀνδράσιν, ἀλλὰ καὶ γυναιξίν· οὐδὲν γὰρ

(a) ὅτι excidiſſe videtur.

γὰρ ἧττον αὗταί γε τῶν ἀνδρῶν τοῖς μὲν καλοῖς καὶ δικαίοις ἔργοις ἀρέσκεσθαι πεφύκασι, τὰ δὲ ἐναντία τούτων προβάλλεσθαι. Τούτων δὲ ταύτῃ ἐχόντων, διὰ τί πρότερον τοῖς μὲν ἀνδράσι προσήκοι ἂν ζητεῖν καὶ σκοπεῖν ὅπως βιώσονται καλῶς, ὅπερ τὸ φιλοσοφεῖν ἐστὶ, γυναιξὶ δὲ οὐ πρότερον; ὅτι ἄνδρας μὲν προσήκει ἀγαθοὺς εἶναι, γυναῖκας δὲ οὔ; Σκοπῶμεν δὲ καὶ καθ' ἓν ἕκαστον τῶν προσηκόντων γυναικὶ τῇ ἐσομένῃ ἀγαθῇ· φανεῖται γὰρ τὸ (*b*) φιλοσοφίας τούτων ἕκαστον μάλιστ' ἂν αὐτῇ περιγενόμενον. Αὐτίκα δεῖ οἰκονομικὴν εἶναι τὴν γυναῖκα, καὶ ἐκλογιστικὴν τῶν οἴκῳ συμφερόντων, καὶ ἀρχικὴν τῶν οἰκετῶν. Ταῦτα δ' ἐγὼ φημὶ τῇ φιλοσοφίᾳ ὑπάρξαι ἂν μάλιστα· εἴγε (*c*) ἕκαστον μὲν τούτων μέρος τοῦ βίου ἐστὶν, ἐπιστήμη δὲ περὶ βίον οὐχ ἑτέρα τις ἢ (*d*) φιλοσοφία καὶ ὁ φιλόσοφος. Ὡς γὰρ ἔλεγε Σωκράτης, τοῦτο διατελεῖ σκοπῶν, Ὅ, ττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται (*e*). Ἀλλὰ δεῖ δὴ καὶ σώφρονα εἶναι τὴν γυναῖκα· οἵαν κα-

(*b*) forte, γὰρ διὰ φιλοσοφίας.

(*c*) MS. ἀείγε· ἕκαστον.

(*d*) MS. ἡ.

(*e*) Homericum dictum, Odyss. Δ, 392, celebratum à Socrate: vid. Diogenes Laert. II, 21: Davisius ad Cic. Tusc. V, 4: nos ad Plutarchum Praecept. Sanitatis Tuendae p. 122, D.

καθαρεύειν μὲν ἀφροδισίων παρανόμων, καθαρεύειν δὲ τῆς περὶ τὰς ἄλλας ἡδονὰς ἀκρασίας, μὴ δουλεύειν ἐπιθυμίαις, μηδὲ φιλόνεικον εἶναι, μὴ πολυτελῆ, μὴ καλλωπίστριαν. Ταῦτα μὲν ἔργα τῆς σώφρονός ἐστι· καὶ ἔτι πρὸς τούτοις ἐκεῖνα· κρατεῖν μὲν ὀργῆς, μὴ κρατεῖσθαι δὲ ὑπὸ λύπης, κρείττονα δὲ πάθους παντὸς εἶναι. Ταῦτα δ' ὁ φιλόσοφος παρεγγυᾷ λόγος· ὁ δὲ μαθὼν αὐτὰ καὶ ἀσκήσας, ἐμοὶ μὲν δοκεῖ γενέσθαι ἂν κοσμιώτατος, ἐπὰν (f) ἀνὴρ εἴη εἴτε γύνη. Τί οὖν; ταῦτα μὲν ταύτῃ ἔχει· δίκαια δ' οὐκ ἂν εἴη γύνη φιλοσοφοῦσα, οὐδ' ἄμεμπτος βίου κοινωνὸς, οὐδ' ὁμονοίας ἀγαθὴ συνεργὸς, οὐδ' ἀνδρὸς καὶ τέκνων ἐπιμελὴς κηδεμὼν, οὐδὲ φιλοκερδείας ἢ πλεονεξίας πάντῃ καθαρά. Καὶ τίς ἂν μᾶλλον τῆς φιλοσόφου τοιαύτη γένοιτο, ἥν γε ἀνάγκη πᾶσα εἴπερ εἴη τὸ ἴσον φιλόσοφον (g), τὸ μὲν ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι χεῖρον νομίζειν, ὅσῳπερ αἴσχιον· τὸ δὲ ἐλαττοῦσθαι τοῦ πλεονεκτεῖν κρεῖττον ὑπολαμβάνειν· τὸ δὲ καὶ τέκνα μᾶλλον ἀγαπᾶν τοῦ ζῆν. Τῆς δὲ ἐχούσης οὕτω, τίς ἂν εἴη γύνη δικαιοτέρα; Καὶ μὴν καὶ ἀνδρειοτέραν προσήκει εἶναι γυναῖκα τῆς ἀπαιδεύτου τὴν πεπαιδευμένην, καὶ τὴν φιλόσοφον τῆς ἰδιώτιδος· ὡς μήτε θανάτου φόβῳ, μήτε ὄκνῳ τῷ πρὸς πόνον ὑπομεῖναί τι αἰσχρὸν,

(f) lege, εἴτε.
(g) MS. φιλόσοφος.

χρὸν, μηδὲ ὑποπτῆξαι μηδενὶ ὅτι εὐγενὴς, ἢ ὅτι δυνατὸς, ἢ ὅτι πλούσιος, ἢ καὶ νὴ Δία ὅτι τύραννος. ὑπάρχει γὰρ αὐτῇ μέγα Φρονεῖν, καὶ τὸν μὲν θάνατον ἡγεῖσθαι μὴ κακὸν, τὴν δὲ ζωὴν μὴ ἀγαθόν· ὡσαύτως δὲ καὶ τὸν μὲν πόνον μὴ ἐκτρέπεσθαι, τὴν δὲ ἀπονίαν μὴ διώκειν ἐξ ἅπαντος. Ὅθεν εἰκὸς εἶναι τὴν γυναῖκα ταύτην καὶ αὐτουργικὴν καὶ κακόπαθον, οἵαν ἃ μὲν ἂν τέκῃ τρέφειν μαστῷ τῷ ἑαυτῆς, τῷ δὲ ἀνδρὶ ὑπηρετεῖν χερσὶ ταῖς ἑαυτῆς· ἃ δὲ δουλικὰ νομίζουσι ἔνιαι, ταῦτα ἀόκνως ποιεῖν. Ἆρ' οὐκ ἂν ἡ τοιαύτη γύνη μέγα μὲν ὄφελος εἴη τῷ γεγαμηκότι, κόσμιος δὲ τοῖς προσήκουσι γένει (*h*), παράδειγμα δὲ χρηστὸν ταῖς ἐπισταμέναις αὐτήν. Ἀλλὰ νὴ Δία, Φασί τινες, ὅτι αὐθάδεις ὡς ἐπὶ πολὺ καὶ θρασείας εἶναι ἀνάγκη τὰς προσιούσας τοῖς Φιλοσόφοις γυναῖκας, ὅταν ἀφεμέναι τοῦ οἰκουρεῖν ἐν μέσοις ἀναστρέφωνται τοῖς ἀνδράσι, καὶ μελετῶσι λόγους, καὶ ἀναλύωσι συλλογισμοὺς, δέον οἴκοι καθημένας ταλασιουργεῖν. Ἐγὼ δὲ οὐχ ὅπως τὰς γυναῖκας, ἀλλ' οὐδὲ τοὺς ἄνδρας ἀξιώσαιμ' ἂν, ἀφεμένους τῶν προσηκόντων ἔργων, εἶναι πρὸς λόγους, μόνον· ἀλλὰ καὶ ὅσους μεταχειρίζονται λόγους, τῶν ἔργων Φημὶ δεῖν ἕνεκα μεταχειρίζεσθαι αὐτούς. Ὥσπερ γὰρ ἰατρικοῦ λόγου οὐδὲν ὄφελος, ἐὰν μὴ πρὸς ὑγιείαν Φέρῃ σώ-

(*h*) videtur quid excidisse.

σώματος ἀνθρώπου, οὕτως οὐδ' εἴ τινα φιλόσοφος ἔχει ἢ διδάσκει λόγον, οὐδὲν ὄφελος αὐτοῦ, ἐὰν μὴ φέρῃ πρὸς ἀρετὴν ψυχῆς ἀνθρωπίνης. Πρὸ παντὸς δὲ σκοπεῖν τὸν λόγον χρὴ, ᾧ ἕπεσθαι τὰς φιλοσοφούσας ἀξιοῦμεν, εἰ δύναται θρασείας ποιεῖν, ὅταν (i) αἰδῶ μέγιστον ἀποφαίνων ἀγαθόν; εἰ ζῆν (k) ἰταμώτερον ἐθίζει, ὁ καταστολὴν πλείστην ὑφηγούμενος; εἰ μὴ διδάσκει σωφρονεῖν, ὁ κακὸν ἀποδεικνυς ἔσχατον τὴν ἀκολασίαν; εἰ μὴ προτρέπεται οἰκονομεῖν, ὁ παριστὰς ἀρετὴν εἶναι τὴν οἰκονομικήν; Καὶ στέργειν δὲ καὶ αὐτουργεῖν ὁ τῶν φιλοσόφων λόγος παρακαλεῖ τὴν γυναῖκα.

(i) lege, ὁ τὴν.
(k) MS. ἀγαθόν τι ζῆν.



ME-

MEMORIA
SANCTOCRUCII.

Obiit & Sanctocrucius noster: & frustra optavimus, Bibliothecae Criticae Parte Undecima, ut ipsius ad annos accederet quod Villoisono detractum esset: obiit, triste sui desiderium relinquens omnibus virtutis doctrinaeque amantibus, & vero mihi, quamvis longis loci temporisque intervallis disjuncto, tamen studiorum sensuumque communione & amicitiae vetustate conjuncto. Ergo quod Villoisono mortuo tunc tribuimus, nunc item Sanctocrucio tribuamus, & hujus de vita rebusque breviter memoremus: quarum cognitionem partim ab ipso acceptam recordamur, partim nobis aliquantum auxit vir eruditissimus, idemque Literarum Orientalium princeps, edito hujus argumenti brevi libello (*). Et quamquam post tantum virum rem actam agere videamur, & Sanctocrucius noster suis ipse doctrinae monumen-

(*) Notice sur M. Guilhem de Clermont Lodève de Sainte-Croix, insérée dans le Catalogue des Livres de sa Bibliothèque. = Juin. par M. Silvestre de Sacy. Praenomina Sanctocrucii fuerunt, *Guilielmus*, *Emanuel*, *Josephus*.

mentis ad omnem posteritatem commendatus sit; maluimus tamen committere, ut in hac nostra scriptione & sedulitate potius judicium & facultas, quam in silentio pietas & officium, desideraretur.

Natus est Mormoirone, in vicino urbis Carpentoractis, Comitatus Vindauscensis, gente nobili, die V Ianuarii, anni MDCCXLVI. Hic enim annus in libello laudato editur: qui si vere editur, de quo non statuimus, nos & alios errasse oportet, qui Sanctocrucium vel decennio, vel minimum quinquennio, antea natum credidimus. Literis ac disciplinis institutus Gratianopoli in scholâ Iesuitarum, illius institutionis modo ac tempore confecto, militiae nomen anno MDCCLXI dedit.

Erat enim ei patruus Sanctocrucius ille, Legatus Legionis, insigni recens famâ celebratus, Bellinsulâ, Gallorum in Aremoricae orâ propugnaculo, adversus Britannorum diuturnam & acerrimam oppugnationem defendendâ, nec prius dedenda quam ultima quaeque & tentasset & tulisset. Cujus fortitudinis commendatione, Rex eum Praetorem fecit Martinicae, coloniae Gallorum in Antillicis insulis florentissimae: & provinciae Praetori in primis luculentae. Ipse illuc proficiscens hunc fratris sui filium in cohortem suam assumsit, munere Adjutorem Castrensem, gradu Centurio-

nem

nem Equitatus. At speratum provinciae fructum eodem anno patrui obitus intercepit. Sanctocrucius in patriam rediit, patrui acta praetoria Regi reddidit: ab eoque, donec centuriae praeficeretur, inter Grenadarios Franciae allectus est: sic tum dicebatur una ex Legionibus, quibus flos peditatus Gallici censeretur, quae corporum robore ac proceritate, morum urbanitate, priscum junctae cum humanitate fortitudinis exemplum referre videretur. Qua in Legione, ut per tempus tranquillum & pacatum, otio abundans, totum hoc ad recolenda Literarum studia contulit; omni Historia & Geographia pertractanda, omni Antiquitate ejusque partibus cognoscendis, Graecis & Latinis scriptoribus legendis. Sed quum stationibus mutandis in loca saepe veniret illiterata, in quibus manendum & libris carendum esset, hac in primis de caussa militiam pertaesus, ea se abdicavit, in urbem natalem ad patrem rediit amplis & avitis bonis fruentem, & in hujus filii spe acquiescentem. Filius in Literarum studio pergens, patrem obsequio & pietate colebat: tum vero, ut senectutem ejus magis etiam oblectaret & exhilararet, ex hujus voluntate, & sua ipse animi sententia, a. MDCCLXX, uxorem duxit egregiis animi ingeniique dotibus commendatam: ex qua mox duos filios & filiam suscepit. Neque

ta-

tamen rei familiaris cura se à suscepto doctrinae amore & commentatione avocari passus est: quin, tamquam in majori otio, alacrior coeptum iter persequens, explicandis quaestionibus ab Academia Elegantiorum Literarum & Inscriptionum ad disceptationis certamen positis, ter victoriae praemium retulit. Quarum quaestionum altera fuit de censendis Scriptoribus Rerum Alexandri Magni. Cujus quaestionis explicationi, anteaquam ederetur, locupletandae & expoliendae, tum cognoscendis doctis hominibus, omnique librorum & editorum & scriptorum generi usurpando, Lutetiam Parisiorum se contulit: curam familiae, patris, liberorum, fidissimae custodi, uxori, relinquens. Ibi tum ei degenti, & Villoisono, ego per annum meae commorationis Parisiensis MDCCLXXV, ad eam, quam dixi, familiaritatem amicitiamque conciliatus sum. Quos tunc quales cognovisse mihi visus sim, fortasse nec aliis scire ingratum sit: mihi certe recordari jucundum est. Magna erat in Sanctocrucio rerum scientia, magna judicandi facultas: & quasi se in militari vita ad imperatoriam artem conformasset, sic eamdem rationem ad intelligentiam doctrinarum accommodabat; ut cum in universae Historiae & Antiquitatis cognitione, tum in singularium argumentorum tractatione, totam materiae tamquam exercitus magnitudinem uno

in

in conspectu videret, suis terminis designaret, generibus discerneret, partibus distingueret: quid quaeque valeret, quo pertineret, quo loco ponenda esset, attenderet: fontes & auctores omnes, & accurate teneret, & verissime aestimaret. Sed rerum haec erat, non verborum scientia: deerat Graecae linguae grammatica cognitio: quam vel puer non satis perceperat, vel miles neglexerat: tunc autem, quod Plutarchum in Latina lingua factitasse legimus, sic acquirere & recuperare studebat, ut ad Scriptorum Graecorum lectionem adferret materiae cognitionem; itaque ex argumento & rebus verba & orationem disceret, in iisque ad eum gradum proficeret, qui rerum cognitioni satisfaceret. In Villoisono major erat doctrinae non quidem praestantia, sed varietas: multiplex rerum scientia ex omni librorum genere hausta: grammatica etiam & critica linguarum cognitio insignis; ordo & ratio in disserendo & argumento explicando, non item: ut judicandi facultas quamquam ei minime deesset, tamen subinde non appareret: exquisitas doctrinae copias fere confertim effundens, ad eas intelligendas legentes ipsos judicium suum adferre volebat: contemnens merito scriptores doctrinae inopiam judicando compensare ac dissimulare solitos, & comparans fabris sine materia opus architectari ingredientibus:

bus; ipſe nimis in contrarium inclinabat. Ad ſcribendum non niſi patrium ſermonem uſurpabat Sanctocrucius, cum elegantia, decore, & eloquentiae luminibus: Villoiſonus etiam Latinum, utrumque, ut perſpicuitate contentus eſſet. De hujus moribus ſuo loco diximus. Similis ei erat Sanctocrucius fide erga amicos, benevolentia erga cives & exteros, in primis homines doctos: caeterum excelſus animus, honeſtum ac decorum appetens, turpe & indecorum averſans: cujus in omni ſermone frequens generoſos ſenſus promebat; ſi cujus juſte, recte, humaniter, aut ſecus, facti mentio incideret. In primis autem Urbis, ut tunc erat, luxuriem indignabatur, & veriſſimam morum corruptionem interpretabatur, ejusque quamvis dudum ſibi cognitae, tamen quovis novo exemplo ipſe ut novus & recens commovebatur. Quam quum aliquando doctus homo carmine Latino haud inſiceto, ſed laſcivo, depinxiſſet, idque Sanctocrucio & aliis praeſentibus recitaret, hic recitatorem ita corripuit, ut obmuteſceret: Siccine, inquit, laſcivi amores non per ſe ipſi ſatis ſunt fallaces ac lubrici, ut iis illecebras etiam poeſis addere debeat? Ille, hoc ita moris eſſe apud Latinos, ſic Antiquos & novos factitaſſe. Quaſi vero, inquit, Latinus ſermo honeſti decorique legibus ſolutus ſit.

Ad

Ad hanc sensuum altitudinem accedebat morum generosa quaedam simplicitas ac puritas, ab omni superbia fastuque immunis; ut externa, quibus gloriari posset, bona, nobilitatem, divitias, honores, gratiam aulicam, ne nosse quidem videretur: unam nosset laudem virtutis ac doctrinae: has solas sibi propositas haberet, & propter ipsas consectaretur, earumque adeptione & suam & aliorum felicitatem censeret.

Talem nos tunc eum cognovimus, & postea fuisse novimus. Proximo anno ad suos Mormoironem rediit. Altero Helvetiam ac vicinas regiones lustravit: & Bernae dies aliquot apud Ithium nostrum fuit, nuper Parisiis nobis comitem & contubernalem, tum Bibliothecae Bernensis praefectum, nunc Sacrorum Antistitem insigni pietatis ac doctrinae laude florentem. Laetae diu res fuerunt, & semper fore videbantur. Quod à rei familiaris cura & amicorum negotiis tempus superesset, quod sane multum erat, Literarum studiis dabat. Denuo victor renunciatus est propositi, ab eadem Academia Inscriptionum & Elegantiorum Literarum, certaminis literarii *de numinibus & cultu Cereris & Proserpinae* a. MDCCLXXVII. Proximo anno secutus est sacer Indorum liber dictus *Ezour-Vedam*, id est, *Vetus Commentarius Vedami continens expositionem opinionum religiosarum & phi-*

philosopharum, *Indorum*. *Ebroduni* a. MDCC-LXXVIII, duobus voluminibus, formae duodecimae. Rursus proximo, *De Statu & conditione Coloniarum apud Antiquos*. *Philadelphiae*, forma octona MDCCLXXXI: item *Annotationes additae editioni Vibii Sequestris Oberlinianae*. Et de his quidem duobus illius anni operibus verbo diximus in Bibliothecae Criticae Parte IV, p. 132, & VI, p. 116: uberius autem de utraque editione *Censurae Scriptorum de Rebus Alexandri Magni*, ibidem: de prima, Parte II, p. 129: de altera, XI, p. 130. Porro gravissimum argumentum *de Mysteriis Veterum*, jam antea affectum in Disputatione de numinibus Cereris & Proserpinae, singulari libro fusius diligentiusque tractavit, edito Parisiis a. MDCCLXXXIV, forma octonaria. Quem librum quum Villoisonus edendum recepisset, sic edidit, ut ipse de hoc argumento commentarium scriberet, commentario Sanctocrucii adjiceret atque interfereret, eumque fere obrueret. Quod non sine ratione aegre tulit Sanctocrucius: & improbarunt etiam communes amici Villoisonum, qui tantum sibi juris in alieno sumsisset opere; quamvis caeterum non ingratum iis accidebat, hujus copiam cum illius philosopha ratione conjunctam exstare. Fuit haec levis offensiuncula, quam utriusque mox lenitas, & amicitiae mutuis officiis

&

& ſtudiorum communione confirmatae integritas, obliteravit. In haec tempora inciderunt aliae ſcriptiones: duae politicae: altera, *Obſervationes Pacti Pacis factae inter Gallos & Britannos* anno MDCCLXIII, edita Ebroduni a. MDCCLXXXII, forma duodenaria: altera, *Hiſtoria incrementorum potentiae navalis Britannorum*, ibidem, eadem forma, duobus voluminibus duodenariis: tertia literaria, *Hypomnema ad Scriptores Diarii Eruditorum, de facienda nova editione Geographorum Minorum:* forma quartanaria: nulla additâ tituli paginâ ſingulari, nec anni locive notatione. Illas non vidimus: hanc ab ipſo nobis miſſam legimus, & in manibus habemus, & agnoſcimus indidem illam ejus ingenii facultatem, materiae quamvis variae ſuis & finibus complectendae, & partibus deſcribendae. Hic erat Literarum proventus. Rei autem familiaris uberrimum percipiebat fructum è diligente liberorum educatione ad egregiam ſpem creſcentium: filiis jam tantum, quantum per eorum aetatem licebat, provectis: majore ad munus Accenſi, vulgo *Locum tenentis* dicti, in Legione Bellovacenſi: minore, in ſchola Alaiſia ad militiam navalem inſtituto, & propediem in eam allegendo. Et videbatur perpetua haec vitae proſperitas futura fuisſe; niſi eam inopinato Gallici regni converſio proſtravisſet. Nam

M quum

quum fperaretur Comitatum Avenionenfem & Vindaufcienfem, qui essent in ditione Pontificis Romani, à contagione feditionis immunes fore; hanc fpem eventus fefellit. Obtinuit illas terras cohors Jourdani, ferro & flammis grassans, civibus veteris formae ftudiofis, optimatibus, nobilibus, aliis, praefens exitium omnibus intentans, multis inferens. Hac primum Mormoironem adventante anno MDCCXCI, menfe Aprili, Sanctocrucius domum paternam reliquit: abeunte rediit, fpe quidem ille quietis & recuperandae tranquillitatis; re & facto, graviora pasfurus, & proxima fupremae neceffitati fubiturus. Sequente enim anno MDCCXCII, carceri inclufus, jamque in confpectu habens pegma fupplicii mortiferamque fecurim, mirum in modum evafit, &, mutato veftitu habituque, Lutetiam Parifiorum pervenit. Uxor, relicto vetere Mormoironis domicilio, Avenionem fe contulit: &, quae fua conftantia, folertia, & animi praefentiâ, maritum & liberos fervasfet, parum abfuit quin ipfa ibi periret. Nam à praedonum principibus decreto, jamque fatellitibus mandato, ut comprehenderetur, illo ipfo temporis puncto reperit quomodo aufugeret: & ad maritum fe recepit a. MDCCXCIV, menfe Martio. Interea praedones fpe fua decepti, iram, quâ in dominos abfentes incenfi erant, explerunt rebus

eorum

eorum praesentibus vastandis & raptandis. Bona traduntur sequestro, domus à sodalitio seditioso occupatur, libri diripiuntur, chartae cremantur. Accessit cumulus omnium acerbitatum, obitus amborum filiorum: qui utrum sua morte, an aliena vi, obierint, in neutram partem significat Scriptor: posterius tamen ut verisimilius censeamus, faciunt cum tempora, tum quae aliunde accepta nobis meminisse videmur. Erat autem haec & in desperatis rebus unici ademtio solatii, & in restitutis continua doloris instauratio; quum in reliquiis naufragii rei familiaris semper aliquid occurreret, quod carissimorum capitum desiderium excitaret. Ita undique ad moerorem sollicitatus, non tamen ei indulsit, neque principalem animi partem aegritudine affici passus est. Quin sapientis munere fungens, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, retinuit. Quae illi constantia & felicitas veniebat è certa verorum bonorum aestimatione, vanorum contemtu, & firmâ sententiâ res humanos totumque universum divino numine gubernari: quam sententiam à teneris susceptam, deinde per totum vitae cursum quotidiana observatione, tum Historiarum & Philosophiae commentatione, ad certam judicii stabilitatem corroboraverat. Itaque de injuriis sibi illatis placide & sentiebat & narrabat, ut quae di-

vinitus accidissent: & earum auctoribus ignoscebat, ut qui magis necessitate fati, quam sua voluntate fecissent. Mansit deinceps Lutetiae; quippe urbe libris Literarumque subsidiis adfluente, & doctis hominibus frequente: intermissa doctrinae studia repetivit, in iisque recentium calamitatum solatium & quaesivit, & invenit. *Opera Diversa J. J. Barthelemyi* duobus voluminibus formae octonariae, addito ejusdem *Elogio*, edidit Parisiis, anno Reip. VI, id est, MDCCXCVII: proximo anno ibidem singulare volumen ejusdem formae, *De antiquis Rebuspublicis Federatis:* alteram editionem Censurae Scriptorum De Rebus Alexandri M. anno MDCCCIV: de qua retulimus Bibliothecae Criticae Parte XI, & votum hoc apposuimus: „Itaque optamus, ut egregio viro, quae adfuit studii intentio, animi corporisque alacritas, otii aliarumque rerum abundantia, ad hoc de Alexandri historia opus ornandum, eadem ei suppetat ad librum de Mysteriis Veterum, quem nunc maxime in manibus habet, nova editione locupletandum & frequentandum." Quod item vanum fuit votum: quamquam reliquit exemplum primae editionis plenum lituris, correctionibus, & additionibus; unde alteram editionem se facturum profitetur Sanctocrucii sodalis, vir doctus, cui legavit scripta sua inedita & adversaria.

Fue-

Fuerat autem ipſe ſodalis Academiae Inſcriptionum: qua exſtincta anno MDCCXCIII, deinde inſtaurata anno MDCCCII, ſub nomine *Claſſis Hiſtoricae & Literariae Inſtituti*, hujus item Claſſis ſodalis fuit: & utrumque ſodalitium, vetus & novum, ornaverat, traditis ad praelegendum & edendum diſputationibus compluribus: quarum quae ad *Academiam* pertinuerunt, in hujus *Actis* brevi prodibunt. *Inſtituto* tradidit disquiſitiones copioſe ſcriptas, *de Sepulcro Mauſoli*, & *de Chronologia Regum Cariae*: & duas parabat commentationes, alteram *de Hiſtoria Philoſophiae apud Romanos*, alteram *de vero tempore natali Chriſti*. Aliae etiam ejus ſcriptiones proditae ſunt in aliis Syllogis Periodicis, veluti in *Diario Eruditorum*, *Horreo Encyclopaedeutico*, *Archivis Literariis*. His annumerandae ſunt quaedam à Silveſtro memoratae: *Elogia*, *Abbatis Poulei*, *Cardinalis Berniſii*, *D. Clementis*: *Cogitationes de Providentia*: *Commentarium de curſu fluviorum Araxis & Cyri*. Ex hac librorum multitudine & argumentis de doctrinae ejus magnitudine & praeſtantia ſuſpicari licet. Et materia & forma congruebat animi cum generoſitati, tum humanitati. Materia erant *res*, earumque praeſtantiſſimum genus, hiſtoria ingeniorum, Literarum, doctrinarum, religionum, morum, rerumpublicarum & regnorum,

rum, rationis civitatum constituendarum, gubernandarum, legum ferendarum, juris publici & gentium, prudentiae civilis. Forma & ratio fuit, qualis à nobis declarata est in Censura Scriptorum de rebus Alexandri, Bibliothecae Criticae Parte XI, p. 142, ubi sic diximus: „Nos ut in quibusdam locis ab auctore dissentimus, ita universe eum omnes historici muneris partes explevisse judicamus. Nam & materiae collectae tanta est copia, ut nullus accessioni relictus videatur locus, & quasi thesaurus sit historiae Alexandri: nullus qui ad eam pertineat homo, locus, nullum factum, opus, tempus, nulla res & actio, nulla cujusquam scriptoris mentio desideretur: sed omnibus etiam scriptoribus percensendis, omnium saeculorum & aetatum virtutes vitiaque notentur. Et materiam quasi *spiritus intus alit*, atque animat distributione, judicio, ratione, sensu magnitudinis & honestatis, ac religione reverentiaque muneris historici: horumque cogitatorum diserta & gravi declaratione." Quod in quibusdam locis ab auctore dissentire nos diximus, referebatur ad hanc editionem: in qua frequenter laudat effata Bossuetii, de Historia rhetorice magis quam critice disserentis, & judicium religione occupantis: & majorem, quam antea Canoni Hebraico auctoritatem chronologicam tribuit: in quo item Larcherum & Vil-

Villoisonum per civilem illam conversionem mutatos cognovimus. Villoisoni obitum continuo dolenter amanterque mihi perscripsit anno MDCCCIV, de caussa morbi prudenter & utiliter monuit: mox ejus Memoriam ab Instituti socio Dacierio, V. Cl., scriptam transmisit, & iniquius de Villoisoni doctrina judicatum improbavit. Adeo dolorem magis in amicorum, quam sua, caussa prodere solebat. Nam quum biennio postea filiam, quae una ei ex natis supererat, jam viro nuptam, morte amisisset, eaque orbitate ad veterem filiorum luctum renovaretur, suum sibi casum ut fatalem tacitus tulit, nec ejus notitiam absentibus, quamvis amicis, nec mihi, ad quem illo tempore alia de caussa scribebat, impertivit. Idem, quum eodem tempore ageretur de Republica nostra in Regnum mutanda, nil prius potiusque habuit, quam ut me per literas moneret, quibus rationibus meae fortunae, quam periclitari putabat, consulerem. Quod consilium licet insecuta temporum lenitas supervacaneum redderet, magnum tamen ejus erga me fidei & amoris documentum exstitit. Ineunte proximo anno MDCCCVII, quum nostram urbem terribilis illa clades die XII Januarii afflixisset, hic ad primam rei famam perculsus, nullâ morâ interposita, domo exiit sciscitatum apud communes familiares, si quid mihi

accidisset: comperto, me vivere & valere, literas quantocyus ad me dedit, postulans, ut se de meis rebus ipse certiorem facerem. Postremas ab eo literas mihi Lutetiâ redux adtulit Ravius noster, mox ipse die 1 Decembris nobis morte ademtus. Quae, profecto, tam crebrae hominum nobis carorum mortes nos quoque admonent, ut breve & incertum reliquae vitae spatium bene factis extendere conemur. Sanctocruciô autem nostro exitum adtulit affectio corporis, quae magis cum doloribus quam vitae periculo conjuncta videretur: qua laborantem dum amici spe & commemoratione repetendorum studiorum, absolvendarumque scriptionum inchoatarum, recreant & consolantur, inopinato mors eum abstulit die XI Martii, hujus anni MDCCCIX. Talem tantumque virum amisimus Sanctocrucium, qui non solum familiaribus & amicis triste suavitatis & consuetudinis suae desiderium, sed omnibus doctrinae, virtutis, magni & in adversis rebus invicti animi, egregium exemplum reliquit. Et unus nunc ex illa Parisiensi aetate atque consuetudine nobis tu superes, Larchere, Nestorea vigens senectute; quam Tibi porro laetam fortunent Musae!



NAR.

NARRATIONES,

ET

LIBRORVM SVMMARIA, EPITOMAE, IVDICIA.

accidisset: comperto, me vivere & valere, literas quantocyus ad me dedit, postulans, ut se de meis rebus ipse certiorem facerem. Postremas ab eo literas mihi Lutetiâ redux adtulit Ravius noster, mox ipse die 1 Decembris nobis morte ademtus. Quae, profecto, tam crebrae hominum nobis carorum mortes nos quoque admonent, ut breve & incertum reliquae vitae spatium bene factis extendere conemur. Sanctocruciô autem nostro exitum adtulit affectio corporis, quae magis cum doloribus quam vitae periculo conjuncta videretur: qua laborantem dum amici spe & commemoratione repetendorum studiorum, absolvendarumque scriptionum inchoatarum, recreant & consolantur, inopinato mors eum abstulit die XI Martii, hujus anni MDCCCIX. Talem tantumque virum amisimus Sanctocrucium, qui non solum familiaribus & amicis triste suavitatis & consuetudinis suae desiderium, sed omnibus doctrinae, virtutis, magni & in adversis rebus invicti animi, egregium exemplum reliquit. Et unus nunc ex illa Parisiensi aetate atque consuetudine nobis tu superes, Larchere, Nestorea vigens senectute; quam Tibi porro laetam fortunent Musae!



NAR.

NARRATIONES,

ET

LIBRORVM SVMMARIA, EPITOMAE, IVDICIA.

I. *EPICRISIS Cenfurarum Bibliothecae Criticae Vol.* III. *Part.* III: *auctore* *GUIL. LEON. MAHNE*, *Gymnafii Amisfurtani Rectore. Trajecti ad Rhenum: ex typographia Joh. Altheer.* MDCCCVIII, 8. *pagg.* 104.

Mahnii noftri Epicrifin nuper verbo memoravimus in ipfo exitu Bibliothecae Criticae; nec iterum nunc memoraremus, nifi nobis faciendum judicaremus, ut eum publice moneremus, ne fe repetitis iftorum cenfuris moveri, nedum ad refpondendum induci, fineret. Duo autem fuerant cenfores Belgici, qui Bibliothecae noftrae Partem XI oppugnarent. Alter, *Recenfens Recenfentium* dictus, cenfurae libelli noftri admifcuerat notationem Mahnii, compluribus locis eum à recta Latinitatis ratione aberraffe contendens. In quo etfi, praeter rem ac propofitum, inique infciteque egerat, tamen fubinde fuit quod ei taciti gratias ageremus. Nam, ut nil tam eft malum, quin ei aliquid faltem boni infit; fic ifta *recenfio* illud unum boni habuit, quod Mahnium noftrum inde ab edita Diatribe Ariftoxenea inftitution Literaria, fuis ftudiis, & re familiari

oc-

occupatum, ad hanc Epicrisin scribendam excitavit: doctam sane & plenam accurata cum Latinitatis observatione, tum Literarum scientia. Cui Epicrisi quum rursus similem priori reprehensionem Censor opposuerit; nos quidem Mahnio suademus, ut in nova sua statione Zierikzeana, si quid habet otii & quietis, eo in rebus studiisque suis fruatur, & quidvis potius quam responsionem ad istiusmodi libellos cogitet. Alter Censor, qui, quamvis parum, tamen paulo plus habuit Literarum, in *Theatro Oeconomico-Literario* sententiam suam prodidit: atque sic orsus, ut nos tantis afficeret atque cumularet laudibus, quantas nec agnoscimus in nobis, & referre verecundamur, deinde se ad Latinae nostrae orationis, modo à se tantopere laudatae, reprehensionem convertit. Cujus tam mirificae conversionis hanc unam verisimilem caussam suspicari possumus, ut putemus Theatri istius actores esse Oeconomum & Literatorem: illum tamquam dominum, aut patrem familiae: hunc, quasi libertum, aut filium, in illius certe potestate. Igitur quum Literatorem tantas laudes in nos effundere videret Oeconomus, minus nobis favens, eum increpuit: Heus tu, inquit, satis est laudis! jam vituperio eam tempera. Tum hic: Atqui sic ipse mihi repugnem: & Graeca parum intelligo. Ille: Ergo Latina reprehende:

de: reprehendendum omnino est, quidquid & quacumque ratione poteris. Ita Literator dicto audiens Oeconomo esse debuit: fecit quod potuit. Quod cujusmodi fuerit, ex duobus speciminibus cognoscere licet. Veluti: quum nos improbassemus dictionem *teneri aliquid facere*, quae vulgo usurpatur pro *lege obstrictum esse ad aliquid faciendum*: ille contendit, nos ipsos ea dictione usus esse, qui alicubi scripsissemus, *studio Platonis teneri*. Et quod scripseramus, *viam persequi*, hac animadversione notavit: „Equidem dubito, idque auctoritate Ruhnke„nii ad Muretum p. 38 & 67, an *dictio perse„qui viam* bene Latina sit." Atqui Ruhnkenius ibi non de dictione *persequi viam*, optimis Scriptoribus usitata, sed de verbo *prosequi* dixerat. Nos Literatori aliam conditionem optamus: in qua, solutus necessario censendi labore, doctrinae suae modulum diligente lectione augeat. In Mahnii autem libro quamvis parvo, quanta sit doctrinae copia & diligentia, ex ipsius lectione cognoscendum est: quamquam argumenta vel ex Indice intelligi possunt: quae praecipua haec sunt: Constructio per plures Ablativos continuata. Accentus Gr. vis in distinguendis Adjectivis Activis & Passivis. *Acquirere. Adhuc.* Adjectiva in *ficus*, τικὸς, *ax*, desinentia. *Ad instar.* Antitheta. *Elogium*, Γυναικοφιλής. *Horreum.* Ju-

re-

reconfultorum auctoritas in conftituenda Latinitate. *Labor* & *Labores*, de ftudiis. Latinitatem non nifi Ciceronis verbis conftare, falfa opinio quorumdam. *Magafenum. Omnimodus*, bene Latinum. 'Ωρεῖον, *horreum.* Paronomafia. *Patriophilus*, vox nihili. *Prae fe ferre. Praecepta percepta habere.* Praefens pro Futuro. *Promtuarium. Quidam*, non femper contemtum fignificat. *Repudiare. Sequax. Solida doctrina*, ἄκυρον eft. *Tempus fufpiciofum, fanguinolentum:* fimilia, v. c. *Sicilienfis annus. Teneri aliquid facere*, non Latinum. *Tutus. Viam perfequi.* De nobis, fubinde. Sed, quod diximus, copia & accurata doctrina ex ipfo libro cognofci debet.

II. *DISPUTATIO Juridico Literaria, Inauguralis: de M. Tullii Ciceronis Oratione Pro A. Licinio Archia Poëta — quam publico ac folemni examini fubmittit JO. THEODORUS NETSCHER, Roterodamus. a. d.* XXIX *Octobris, a.* MDCCCVIII. *Lugduni Batavorum.* 8. *pagg.* 65.

Et fcriptor nobis quinquenni Literarum difciplina cognitus ac probatus, & fcriptio elegans ac docta, & argumentum, quamvis Juridicum, tamen humanioribus cum ftudiis conjunctum, committere nos non finunt, ut hunc libellum filentio praetereamus. Eft autem haec una in Ora-

Orationibus Ciceronianis omnium suavissima, & cum caussâ, tum ratione, humanissima, neque fere cuiquam vel mediocriter Latinis Literis imbuto non lecta; saepe edita, & à multis etiam interpretibus illustrata: nequaquam tamen satis explicita, sed compluribus in locis aut rerum obscuritate, aut librariorum mendis, ad intelligendum difficilis. Quo magis fuit adolescentis studiosi & literati, hac Oratione tractanda progressuum suorum specimen prodere, eosque ad bonorum intelligentiumque virorum existimationem favoremque commendare. Disputatio duabus constat partibus: quarum priore p. 1—18, universe de hac Oratione, id est, de quaestionibus, quae ad eam totam communiter pertinent, agitur: altera Annotationem ad singulares ejus deinceps locos continet. Ergo prioris haec est materia: de *tempore* habitae hujus Orationis: de *argumento:* de novo & inusitato loco, ad Iudices de Literarum praestantia disserendi: de *caussa*, fraude & consuetudine peregrinorum civitatem mentiendi, & in censum irrependi: *de Jure Civitatis*, ejusque commodis: de *similibus caussis*, v. c. L. Corn. Balbi, pro quo Ciceronis Oratio exstat: & aliorum, de quibus in Epistolis Ad Diverf. mentio fit, XIII, 30, 35, 36: de *Archiae* rebus ac scriptis: de *Gratio* accusatore, an idem potuerit esse, qui Gratius Faliscus

cus poeta venatici carminis. Altera pars per singula deinceps ab initio ad finem capita deducitur, eorumque memorabiles ac difficiles locos attingit; eosque ex cognitione Hiſtoriae, Antiquitatis, Jurisprudentiae, Graecis Latinisque Literis, Philoſophiae, & Grammaticae ratione illuſtrat. Qua ex copia quum longum ſit exempla prodere, potiora quaedam nomine ſaltem notabimus. Cap. I: nominis ratio, *Aulus Licinius Archias*. Tres doctrinae fontes, *natura*, *exercitatio*, *ratio*: φύσις, ἄσκησις, λόγος. *Humanitas*, & artium ejus commune vinculum. II. *Judicium publicum apud Praetorem. Otium ac ſtudium. Judiciis periculisque.* III. *Latini magis colentes ſtudia quam Romani.* IV. *Cum L. Lucullo in Siciliam profectus:* verius eſſe *Ciliciam. Heraclea. Lex Silvani & Carbonis. M. Lucullus*, potius legendum *L. Lucullus*. V. *Appii tabulae — Gabinii — Metellus. Non modo poſt civitatem datam, ſed etiam poſt Legem Papiam. Ad aerarium relatus eſt à L. Lucullo Praetore & Conſule:* probatur correctio Graevii & Erneſti — *à L. Lucullo Proconſule.* VI. *Tempeſtiva convivia. Ex his ſtudiis haec quoque cenſetur oratio:* pro vulgato *cenſetur*, vetus *creſcit* recipiendum. *Natura*, *ratio*, & *conformatio doctrinae. Nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem atque honeſtatem.* VII. *Haec*

ſtu-

ſtudia adoleſcentiam alunt: haec lectio probatur prae vulgari, *agunt.* VIII. *Suo jure noſter ille Ennius ſanctos appellat poetas. Urbes de patria Homeri certantes.* IX. *Quorum ingeniis haec feruntur, ab his populi Romani fama celebratur. Hujus proavus Cato*: de vi pronominis, *hujus.* X. *Latina ſuis finibus, exiguis ſane, continentur.* De *Theophane Mitylenaeo*, ſcriptore rerum Pompeji M. *De Metello, poetis Cordubenſibus*, & Corduba Colonia. XI. *Decimus Brutus*, Attii poetae amiciſſimus. *M. Fulvius Nobilior*, Martis manubias Muſis conſecravit. XII. *Cum ſtatuas & imagines, non animorum ſimulacra, ſed corporum, ſtudioſe multi ſummique homines reliquerint, conſiliorum relinquere & virtutum noſtrarum effigiem nonne multo malle debemus ſummis ingeniis expreſſam & expolitam?* Cicero ab Iſocrate in Euagora ſumſit, ab illo Horatius, Ep. II, 1, 248: *Nec magis expreſſi vultus per ahenea ſigna, Quam per vatis opus, mores animique virorum Clarorum apparent* — & Carm. IV, 2, 16: *& centum potiore ſignis Munere donat.* Eſt etiam tribus locis, ubi ſententiam à nobis noſtram exquiſivit, impertitamque adſcripſit: quam haud alienum eſt hoc loco reponere. Prima eſt ad Cap II: *in judicio publico, cum res agatur apud Praetorem Populi Romani:* ubi haec ſcribit auctor:

N „ De

„ De judiciis publicis non est quod dicamus;
„ quippe re ex Antiquitatibus nota. De Prae.
„ tore autem hujus judicii res non est satis ex-
„ pedita , & ab interpretibus praetermissa.
„ Praetorum quidem hujus anni nomina prodit
„ Pighius Annal. Magistrat. Rom. T. III, p.
„ 347 : Publio Cornelio Lentulo Spintheri
„ praeturam urbanam assignans, de peregrina
„ autem praetura & quaestionibus, quam quis-
„ que sortitus fuerit, nil significans. Jam quum
„ constet Praetores Urbanum & Peregrinum ju-
„ diciis privatis, caeteros autem judiciis publi-
„ cis, id est quaestionibus, praefuisse: & quum
„ haec Archiae caussa publica fuerit, dubium
„ est cuinam reliquorum Praetorum quaestio
„ peregrinitatis attributa fuerit. Qua de re
„ quum Wyttenbachio V. Cl. me dubitare nar-
„ rarem, sic mihi respondit." Pighianorum An-
„ nalium fides, ut alias saepe, sic hoc loco,
„ mere conjecturalis est, ita tamen ut proban-
„ da magis, quam improbanda sit. P. Corne-
„ lium Lentulum Spintherem, illum Ciceronis
„ amicum , ejusdemque ab exilio revocandi
„ auctorem, Pighius Praetorem facit hujus an-
„ ni, propterea, quia eum proxime sequente
„ anno Hispaniam Citeriorem provinciam pro
„ Praetore obtinuisse constat: Urbanum autem
„ Praetorem, quia ludos Apollinares fecit: quos
„ sa-

„ facere Praetoris Urbani fuisse, tradere Livium „ XXV, 12, & XXVI, 23: & à Lentulo Spin- „ there factos, referre Plinium Hist. Nat. XIX, „ 6, nulla quamvis addita anni notatione. Le- „ via haec aliis videantur argumenta, praeser- „ tim, quod ille successionis & munerum mos „ exceptionem habere potuit: at minime con- „ temnenda nobis historiarum studiosis, diserta- „ rum penuria auctoritatum saepe ad conjectu- „ rae verisimilitudinem descendere coactis. Ita- „ que Freinshemius diligentis homo doctrinae, „ Apollinares hos à Lentulo factos ludos ad „ eumdem hunc annum refert in Supplementis „ Livianis CIII, 64. Accedit aliud indicium, „ nescio quomodo, ab interpretibus neglectum. „ Nam qui nusquam in tota hac oratione no- „ minari videtur Praetor hujus quaestionis, aut „ fallor, aut is ipse est, qui Cap. V, memo- „ ratur his verbis: *Metellus, homo sanctissimus* „ *modestissimusque omnium, tanta diligentia* „ *fuit, ut ad L. Lentulum Praetorem & ad* „ *Judices venerit, & unius nominis litura se* „ *commotum esse dixerit.* Hic est Metellus, „ apud quem antea Praetorem, amicum suum, „ Archias professus erat: hic P. Lentulus, hu- „ jus anni Praetor Urbanus, apud quem haec „ quaestio agebatur, quem Metellus docet in „ suis tabulis nomen A. Licinii Archiae inte-

„ grum ac sincerum exstare, nec nisi unum in illis
„ reperiri nomen, quod litura aliquam fraudis su-
„ spicionem moveat. Quid igitur prohibet, quin
„ praenomen P. à librariis perperam in L. mu-
„ tatum statuamus. Nam hunc Lentulum non
„ fuisse judicii de Gabinio, ut Ernestus acce-
„ pit in Clavi Ciceron. p. 190, sed hujus de Ar-
„ chia, Quaestorem, ipse nexus ac tenor oratio-
„ nis arguit. Duo nostrae rationi obstare viden-
„ tur: ad quae tamen habeo, quod respondeam.
„ Alterum est, quod Cicero Praetorem & Ju-
„ dices non alloquitur, sed de iis loquitur, id
„ est, ut vulgo dicunt, non secunda, sed ter-
„ tia, persona utitur. Atqui sic in tota hac Ora-
„ tione fecit erga Praetorem, veluti in exitu,
„ & hoc ipso Capite bis, ubi Praetorem huma-
„ nitatis ac doctrinae participem significat: quod
„ sane convenit in personam illius P. Cornelii
„ Lentuli Spintheris. Judices autem dicit hoc
„ eodem Capite II, & aliis in Orationibus. Al-
„ tera videtur subesse difficultas, quod haec
„ caussa quamvis publica apud Praetorem Ur-
„ banum acta sit. At vero quod universe va-
„ luit, ut Praetoribus Urbano & Peregrino
„ caussae privatae, caeteris autem quaestiones
„ attributae fuerint, non ita ad vivum resecan-
„ dum est, quasi nullam exceptionem habuerit.
„ Nam criminis quidem *repetundarum* quaestio-
„ nem

„ nem fuiſſe Peregrini Praetoris, oſtendit Manu-
„ tius ad Cic. 2. Fr. II, 1. Et ſimilia tradit de
„ Praetore Peregrino Conradius in Parergis, Diſſ.
„ De Praetore Peregrino §. 19. Et Lege Laeto-
„ ria rei privatae judicium publicum factum eſt,
„ ut ait Cicero Nat. Deor. III 39. Et in aliis
„ eam rationem obtinuiſſe docet Sigonius De
„ Judiciis I, 2." Altera eſt noſtra animadver-
ſio ad Cap. III, ad illa verba: *Statim Luculli, cum praetextatus etiam tum Archias eſſet, eum domum ſuam receperunt:* ubi quum nulla ratio excogitari poſſet, qua *Archias* praetextatus dicatur, nos difficultatem ſic expediviſſe videmur: „Equidem
„ dudum & ſaepius de hoc praetextato Archia
„ cogitavi, & quo magis cogitavi, eo mihi magis
„ perſuaſi, ab ejus nomine & mentione totum
„ hunc locum abhorrere. Quid enim? & to-
„ ga, & toga praetexta, eſt Romanorum. Quid
„ huic cum Archia, Graeco, palliato, nec-
„ dum cive, nec etiam civem ſe gerente; ergo
„ excluſo ab ejus indumenti facultate? Et ſi
„ maxime Romanus eſſet, aetas tamen virilis
„ & privati conditio praetextam repudiabat,
„ quippe puerilibus annis, & magiſtratibus, pro-
„ priam. Quod & mediocri Romani moris ob-
„ ſervatione intelligitur: &, praeter Lexica,
„ docent v. c. Briſſonius Selectarum ex Jur. Civ.
„ Antiquit. I, 13: Sigonius De Judiciis III,

N 3 18:

„ 18: alii. Ergo his praeceptis, acrius aliquan„ do intuens hunc *Archiam* latere sub eo no„ men *Marci* deprehendere mihi visus sum, pla„ ne illud in hanc sententiam & literarum duc„ tus quadrans: *Statim Luculli, cum praetexta„ tus etiam tum Marcus esset, eum domum suam „ receperunt.* Sic Ciceronem scripsisse arbitror. „ Duo enim unâ habitabant fratres Luculli: „ major, *Lucius* ille, postea Bello Mithridati„ co imperator: minor, *Marcus*, anno post fra„ trem A. V. DCLXXX, Consul, deinceps „ Macedoniae Proconsul. Nota res vel ex Ci„ cerone, Cluent. 49: Verr. II, 8: Pison. 19: „ Acad. IV, 1. Plutarcho in Vita L. Luculli „ p. 520, E: & De Gerenda Seni Rep. p. 792, „ B, C." Tertia est nostra animadversio ad nobilissimam illam sententiam: *haec studia adolescentiam alunt* caet. ubi Netscherus recte ponit *alunt*, pro vulgari *agunt:* illud confirmans similibus dictis Ciceronis, Bruto 33: Off. I, 30, tum Horatii A. P. 307: Ovidii Trist. III, 14, 37: deinde ipsam sententiam comparat cum duabus geminis Ciceronianis, Fin. V, 19, & Laelio Cap. VI: denique haec addit: Ad ista mihi Cl. Wyttenbachius haec subjecit: „ Mirum est, „ ut ad hanc lucem non attenderint primarii vi„ ri, Victorius Var. Lect. XXVI, 12: Mure„ tus Var. Lect. XII, 15: Ernestus Clav. Cic.

„ Voce

„ Voce *Ago:* non illi quidem *alunt* damnantes, „ sed *agunt*, ut in veteribus libris proditum, „ praeferentes, nec tamen ullo probabili exemplo „ confirmantes. Itaque Pafferatius, Lambinus, „ Cellarius, Schellerus, multo rectius *alunt* re„ tinuerunt. Huc accedit quod Graeci τρέφειν „ & τροφὴν, *alere* & *nutritionem*, faepe pro „ παιδεύειν & παιδείᾳ, *inftituere*, *inftitutione*, „ ufurpánt. Cicero autem, ut alias alia, ita hanc „ ftudiorum & doctrinae laudationem à Grae„ cis fumfit, quorum fimilia quaedam fenten„ tiarum lumina in Damafceni Parallelis MSS. „ feruntur: quae hoc loco referre non ab re „ fit: Δημοκράτους. Ἡ παιδεία εὐτυχοῦσι μέν „ ἐστι κόσμος, ἀτυχοῦσι δὲ καταφύγιον· quod „ alio loco apponit fub nomine Ariftotelis, & „ exftat in Diogene Laertio V, 19: τὴν παιδείαν „ ἔλεγεν ἐν μὲν ταῖς εὐτυχίαις εἶναι κόσμον, ἐν „ δὲ ταῖς ἀτυχίαις καταφυγήν. Damafcenus: „ Ἀριστοτέλης ἔφη, τὴν παιδείαν εὐτυχοῦσι μὲν „ κόσμον εἶναι, πταίσασι δὲ καταφυγὴν ἐλευθέ„ ριον. Mox aliud: Πίττακος συνεβούλευε πρὸς „ τὸ γῆρας ἐφόδια παρατίθεσθαι παιδείαν· γηρο„ κομικωτάτη γὰρ αὕτη, καὶ εὐκόλως ποιοῦσα „ ὑποφέρειν τὰς τοῦ γήρως δυσκολίας. Tum „ etiam hoc non nominati auctoris: Ἡ παιδεία „ κἂν μηδὲν ἕτερον ἀγαθὸν ἔχοι τότε συμφοιτᾷν „ αὐτὴν νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἔξω κακίας. — Cae-

 tera

„ tera hujus dicti corrupta sunt: apposita vero „ postrema sic corrigenda videntur: τό γε συμ- „ φοιτᾷν αὐτὴν νυκτὸς καὶ ἡμέρας, ἔξω καὶ οἴ- „ κοι —. i. e. doctrina, si aliud nullum habet „ bonum, certe hoc habet, quod noctu & in- „ terdiu, foris ac domi nobiscum est". Caetera ipsius Netscheri in ipsa ejus Disputatione leguntur. Qui quoniam nunc Roterodami patrocinium factitat, speramus fore, ut ei caussarum negotiorumque tanta frequentia obtingat, quantam vult. Vult enim eam, quae sibi subinde reditus ad studia humanitatis concedat: quae studia, quod Cicero de Archia dixit, suppeditant ubi & aures convicio defessae conquiescant, & animus ex forensi strepitu reficiatur, ac doctrinâ relaxetur & excolatur.

III. Creuzerum, V. Cl., quem Bibliothecae Criticae P. XII, p. 222, Academiae Heidelbergensi gratulati eramus, rursus eidem gratulari debemus: Homerice quidem, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ. Nam quum illa scriberemus, oblatâ ei jam tum Leidensi cathedra Graecarum Literarum, verba sic posuimus; ut re, si forte, ante editum nostrum libellum confectâ, pro *Heidelbergensi*, *Leidensem* poneremus. At re praeter exspectationem retardatâ, libellum nostrum, & locum illum, ita ut erat scriptus, edidimus. Venit tandem Creuzerus mense Julio, exspectatus sane, & animi

mi bonis talis, qualem eum abſentem cognoveramus, eleganti ingenio, exquiſita & varia doctrina, egregia humanitate: at vero minus, quam ſperabamus & ipſe volebat, firmus & vigens valetudine. Quam jam antea tentatam inſueto coeli & aeris Batavi novitas ſic porro afſecit, ut gravius etiam quid vitae metuendum videretur, niſi in ſoliti ſe naturam loci referret. Itaque nos reliquit, magno & noſtro cum dolore, & Academiae Leidenſis damno: & fortunâ nos quaſi ludificante, eumque nobis ſimul & dante & adimente, Heidelberga lubens lubentem recepit. In qua nos jactura unice illa ſpes conſolatur, fore ut quantum nobis emolumenti abitu viri detractum eſt, tantum cum ad ipſius vitam diuturnitatis, tum ad Literas utilitatis accedat. Nunc eum vivum dimittentes, non quidem χαίροντες, quod illo poetae dicto celebratur, ſed tamen εὐφημοῦντες ἐκπέμποντες δόμων, ſcriptis ejus commemorandis proſequamur. Ergo quum de duobus dixiſſemus Creuzeri ſcriptis; ne plura dicamus de altero, & ipſo egregio, quo *Hiſtoricorum Gr. Hecataei Mileſii, Charonis Lampſaceni, Xanthi Lydii, Fragmenta* continentur: alterum, quod inſcribitur *Dionyſus, ſive Commentationes Academicae de Rerum Bacchicarum Orphicarumque Originibus*, judice etiam Cenſore Goettingenſi, Hey-

„ poris deinceps labentis decurſum, in multis „ rebus ſui quodammodo diſſimiles apparerent. „ Hoc tamen haud quaquam eo pertinet, quo „ trahere volunt ii, qui hodieque nihil prius „ habent, quam ut, ſi hoc fieri poſſit, ex ip- „ ſa religione religionem tollant. Quod ſtu- „ dium ſi quem hominem transverſum egerit, „ ei nihil magis ridiculum videtur, quam eo- „ rum ratio, qui divinarum rerum ſenſa vivido „ pectore fideliter condunt. A tam improbis „ conſiliis nos quidem ſegregatum volumus, „ quodcumque operae in quacumque re collo- „ cabimus. Itaque nil fugiemus ſtudioſius, quam „ ut ne ad aetatis noſtrae, hoc eſt, frivolae, „ modulum exigamus quidquid in terris, alio „ ſole calentibus, ex illa perenni rerum om- „ nium effectrice Naturâ ad ſanctioris aevi ho- „ mines prolixe transmiſſum, traditumque anti- „ quitus, fabularum commendatione etiamnum „ ſervatur. Neque enim hoc ipſum, quod Dei „ beneficio debemus, deleri potuit prava inter- „ pretatione eorum, qui neſcire videntur quid „ ſit illud, quod apud philoſophum eſt *alte* „ *ſpectare*. Nos vero recordemur, quidquid in „ veterum religionibus primarium eſt, ab iis eſſe „ profectum, quorum animus, abjecta terrenarum „ rerum egeſtate & miſeriis, ſublime tendere „ mature didiciſſet." Index ſingularum partium duo-

duodeviginti paginis in fine Partis II, accedit. Nos satis habere debemus argumenta breviter & summatim ex ipso libro retulisse. Sunt vero haec: Commentatio I: *de Vasis Bacchicis Orphicisque, in his de Persarum Aegyptiorumque Vase Mundano Mystico apud Athenaeum.* Excursus I, *quo tractantur insigniora quaedam, in his Orphica de Fato, rerumque quibus Mundus continetur vicissitudinibus, per Heracliti reliquias librosque Stoicorum.* Excursus II, *de Cratere Liberi Patris sidereo.* Commentatio II, *in qua Vasorum Niliacorum in Nummo, itemque Canobi, Pataecorum, Cabirorum, Dioscurorumque, prisca species ratioque demonstratur.* Commentatio III, *in qua universe monetur, quam vim habuerit antiquissima Magnorum Deorum Dearumque species.* Commentatio IV, *de Serapide & Baccho Pelasgio.* Excursus III, *de Canobo sidereo, Amphoraque siderea: Platonis Platonicorumque sententiis de animarum humanarum vicissitudinibus: de Dionysio infero, Antrorumque Bacchicorum notione ethica: Bacchi vatis potestate ex ejusdem natura humida terrenaque.* Haec est materia Voluminis Primi. quod adhuc unum prodiit, hoc & proxime superiore anno. Novissimum è scriptis est *Programma* Academicum mense Aprili editum, in quo proditur *Specimen Observationum ex priscis Scip-*

Scriptoribus ad noviſſimam Operum Joannis Winkelmanni editionem. Alia etiam nobis munera parat, multum illa incrementi allatura cognitioni veteris Philoſophiae: editionem *Ciceronis* De Natura Deorum, & Operum *Plotini.* Et hujus jam ſpecimen prodidit in Sylloge ſemeſtri Heidelbergenſi germanice ſcripta, *Studiorum* nomine inſignita, interpretationem Enneadis III, Libri VIII, *De Natura, Contemplatione & Uno.* Habebit autem haec editio & ſcripturam emendatam ex codicibus ſcriptis, & commentarios explicandis rebus ac ſententiis accommodatos, qui viam patefaciant ad caeteros Novae Platonicae ſcholae doctores, Porphyrium, Jamblichum, Proclum, & omnino abditam illam Metaphyſicam, adhuc neglectam; unde noviſſimi hujus doctrinae correctores ei novam lucem accendere poſſint. Sed de his alias. Nunc de duobus etiam dicamus libris, Creuzero, & ſuaſore ſcriptis, & commendatore editis.

IV. *NONNI Dionyſiacorum Libri Sex, ab octavo ad decimum tertium, res Bacchicas ante expeditionem Indicam, complectentes: emendavit, omnium Nonni librorum argumenta, & notas mythologicas, adjecit Georgius Henricus Moſer, Vlma-Bavarus, Seminarii Philologici Heidelbergenſis ſodalis. Praefatus eſt Fridericus Creuzer. Heidelbergae, ex libraria Mohrii & Zim-*

Zimmeri Academica. MDCCCIX. 8. *pagg.* 281.

Quod eruditiſſimus juvenis G. H. Moſerus conſilium cepit edendi Nonni, eo magis eſt laudandum, quo plus ipſe facultatis ad hoc opus adfert lectione antiquorum optimorumque poetarum & Scriptorum comparatae. Et poetarum quidem Graecorum aetatis poſtremae carmina, exceptis Dionyſiacis Nonni, & editionibus frequentata, & doctis hominibus ſatis cognita ſunt. Nam ex heroico genere Muſaeus, Coluthus, Tryphiodorus, Quintus Smyrnaeus, noſtra aetate, ſingulares quisque editores habuerunt: & ex epigrammatico, Palladas, Julianus, Paulus Silentiarius, Agathias, alii, Graecae Anthologiae beneficio, ut ſervati, ita celebrati ſunt. Nonni quum exſtent duo carmina, alterum parvum, Metaphraſis Evangelii S. Joannis; alterum magnum, Dionyſiaca, de rebus Bacchi, libris quadraginta octo; illud ſaepe editum eſt: hoc bis ſeparatim, ſemel conjunctim cum caeteris poetis Graecis in Lectii Corpore P. Gr. Quae fors carmini à legentium paucitate venit. Atqui argumentum certe debebat ſtudioſos antiquitatis ad legendum invitare, amplum illud & in vetuſtiſſima hiſtoria celebratum: & ſic à Nonno tractatum, ut illud non modo fuſe & copioſe perſequeretur, ſed maximam rerum partem è per-

perditis nunc poetis & fcriptoribus affumeret. Quibus materiae dotibus qui non contenti, à verfificatore etiam poeticas laudes, inventionis, orationis, ornatûs poftulant, profecto iniquius agunt. Sed redeamus ad propofitum librum. Hujus tres funt Partes: prima, *De Nonni vita, ingenio, & fcriptis, Commentatio*, pag. 1 — 12: altera continet *Dionyfiacorum illos octo libros, cum emendationibus & notulis contextui fubjectis, & omnium librorum brevibus argumentis*, pag. 13 — 168: tertia eft, *Commentarius Mythologicus in octo illos libros*. In omnibus his partibus exftat haud vulgaris cum doctrinae copia, tum judicandi facultas. Et prima quidem, praeter ea, quae titulus ejus profitetur, habet alias duas notationes cognitu jucundas & utiles: alteram, recentiorum hominum eruditorum diverfa in utramque partem de Nonno judicantium, vel laudantium vel contemnentium: alteram, antiquorum poetarum & aliorum Scriptorum, qui carminibus hoc argumentum vel attigerunt, vel tractarur , quale hodieque fupereft Euripidis drama Bacchae. Secunda porro pars è grammatica ratione ad locos corruptos & obfcuros expediendos adfert brevis & opportunae animadverfionis quafi adfperfionem. Tertia denique plane thefaurum totius Mythologiae continet; quippe nullum in illis octo libris memoratur nomen

men minus quidem vulgare, Dei, herois, ſemidei, numinis, loci, rei, quin ejus hiſtoria & auctorum de illa mentiones docte copioſeque annotentur. Quo magis optamus, ut tantae induſtriae & eruditionis juveni is locus obtingat, ubi has dotes, ad iisdem imbuenda inſtituendaque juniorum ingenia, expromat.

V. *M. ANTONII MVRETI Scripta Selecta, curavit Carolus Philippus Kayſer, Philoſophiae Doctor, Gymnaſii Heidelbergenſis Profeſſor, Bibliothecae Acad. Praefectus. Accedit Friderici Creuzeri Epiſtola ad Editorem. Heidelbergae, ſumtibus Mohrii & Zimmerii.* MDCCCIX. 8. *pagg. 616.*

Ad M. Antonii Mureti non modo lectionem, ſed mentionem adeo & cogitationem, ſemper animum meum, neſcio quomodo, quaedam & ſuavitas demulcet, & lux humanitatis quaſi ſerenat; neque id ſolum praeſentis ſenſu temporis, ſed etiam praeteriti recordatione. Is mihi enim fuit Muretus, qui me Ciceroni offenſum reconciliaret. Adoleſcens vix dum viginti annos natus, editâ Epiſtolâ ad Ruhnkenium, non niſi Graecos legeram Scriptores, ab iisque tum recens ad Latinos & principem Ciceronem accedebam. Qui me continuo inſolita quadam difficultate, ut putabam, & auſteritate, certe à ſe ad alios avertebat. Forte accidit eodem tempo-

pore, ut ex auctione nancifcerer exemplum Mureti, fordidum quidem charta & typis, priorum etiam dominorum ufu detritum ac paene lacerum; quod ego ut accipio, ita infpicio; & primae ftatim orationis, in quam cafu incidebam, exordio fic & moveor & teneor, ut eam nifi perlectam de manibus non deponerem. Qua in lectione memini mihi plane idem accidiffe, quod antea in Demofthenis mihi lectione acciderat, quod fcripfi in praefatione ad Selecta Hiftoricorum Graecorum p. 33, ut incalefcerem & impetu orationis auferrer ad eam inter legendum alta voce recitandam. Deinceps, omnia hujus fcripta legens, paulatim cum Cicerone in gratiam redeo: qui mihi jam nil nifi fuavitatem & lucem offerebat, ad eam quafi magna myfteria percipiendam, parvis Mureti myfteriis praeparato. Quod negotium quam rationem habuerit, declaravi Bibliothecae Criticae Parte X, p. 115: quae noftra verba Creuzerus V. Cl. repofuit in hujus editionis praefatione. Quam quidem & editionem & praefationem dignam effe Muretina laude, vere nobis affirmare videmur. Nam & Creuzerus V. Cl. is eft, qui in paucis eorum, qui nunc funt, Latine fcribendi facultate & elegantia excellat: & editio cum externam habet dotem, qua Ruhnkeniana caret, chartae candorem & typorum for-

O mam:

mam: tum internam, delectum partium & annotationis opportunitatem. Ac delectus quidem cum judicio ex omnibus Muretinis operibus factus est, Epistolis, Orationibus, Variis Lectionibus, Commentariis, Poematibus: annotatio autem, retentis Ruhnkenii notulis, refertur ad alios etiam Veterum locos à Mureto vel memoratos, vel significatos, auctorum nominibus, librorum paginarumque aut versuum numeris notandos. Sic Editor gratum & utile fecit adolescentibus Latini stili & antiquae elegantiae studiosis, opere Muretino ad pretii mediocritatem, & eam voluminis brevitatem redigendo, quae tamen exemplo & imitationis consilio satisfaceret. Caeterum idem Editor jam antea doctis hominibus facultatem suam probaverat, colligendis Philetae fragmentis, edendisquê libello sic inscripto: *Philetae Coi Fragmenta, quae reperiuntur, collegit & notis illustravit Carol. Phil. Kayser, Enzhemio-Palatinus, Seminarii Philologici R Georgiae Augustae sodalis: praefixa est Epistola Chr. G. Heynii ad Jo. Georg. Schlosserum. Gottingae typis Barmeierianis* 8. *pagg.* 90.

VI. Jacobo Morellio, viro eidem & optimo, & omnium, qui nunc sunt, rei literariae intelligentissimo, quantum ego debeam saepe & alias dixi, & nuperrime in Annotatione ad Platonis Phae-

Phaedonem propediem edenda; nunc nos juvat viri beneficia recolere memorandis breviter novissimis, quae quidem in manibus habemus, ejus scriptis: quaedam fusius descripturi in sequente libro Philomathiae. Sunt autem haec: *Dionis Cassii Historiarum Romanarum Fragmenta cum novis earundem lectionibus, à Jacobo Morellio Bibliothecae Venetae Praefecto, primum Bassani apud Remondinos anno* MDCCXCVIII, *forma minori vulgata: nunc castigatius, formaque majori, ad Reimarianam editionem accommodata, denuo excusa Parisiis, typis J. I. Delance a.* MDCCC. *fol. pagg.* 18. Alterum est: *Bibliotheca Manuscripta Graeca & Latina Divi Marci Venetiarum: Tomus Primus. Bassani ex Typographia Remondiniana. a.* MDCCCII. 8. *pagg*. 499. Tertium inscribitur: *Aldi Pii Manutii Scripta tria longe rarissima, à Jacobo Morellio denuo edita & illustrata. Bassani typis Romondinianis.* MDCCCVI. 8. *pagg*. 61. Sunt autem haec tria: Musarum Panegyris ad Albertum Pium: Epigramma de Venere & Cupidine: Lex Graece scripta Academiae Aldinae, de collocutionibus in ea non nisi Graece habendis. Est etiam chartula octonaria quatuor paginarum de *Jacobi Morellii operibus editis ab a.* MDCCLXXI—MDCCCIV. Ejusdem viri liberalitati debeo exemplum *Vi-*

tae Hieronymi Lagomarsini ab Josepho Mariano Parthenio scriptae, editae Venetiis MDCCC, 8, dignae prorsus, de qua uberius alias referamus.

VII. Quae antea rogavi tria, eadem rursus mihi roganda sunt; ne tacendo committam, ut non amplius rogare videar. Primum est, de Ruhnkenii Epistolis: alterum, de ejusdem exemplari Plutarcheorum Moralium: tertium, de hominibus doctis absentibus & exteris, librorum hujus Bibliothecae Lugduno - Batavae copiam sibi fieri cupientibus. Haec autem cujusmodi sint, diximus Bibliothecae Criticae Parte XI. p. 156, 175: & XII, p. 94 & deinceps.

PHILOMATHIAE LIBER PRIMVS
EXPLICIT FELICITER.







